

MNI LATINI

J. H. Cameron

307, Sherbourne St.
Toronto.

HYMNI LATINI

QUI LIBRO INTERSUNT
CUI NOMEN

HYMNS ANCIENT AND MODERN

SECUNDUM FORMAM RECENTIOREM.

LONDON
WILLIAM CLOWES AND SONS, LIMITED
23 COCKSPUR STREET, S.W.

BIBLIOGRAPHICAL NOTE.

FIRST EDITION	1861
Appendix added	1868
SECOND EDITION	1875
Supplemental Hymns added	1889

Of the foregoing Editions many impressions have been published.

NEW EDITION (*thoroughly revised*) . .	1904
Hymni Latini, *first published*	1906

PRAEFATIO.

PLURIMIS apud nostrates locis pars maior conventuum satis Latine sciunt ut possint hos hymnos lingua propria canere neque opus habeant translatis. qui possunt, id procul dubio volent. vix potest fieri, quin aliquid saporis elegantiaeque pereat, cum poesis Latina sermone nostro reddatur. etsi quominus Latine canatur carmen unum vel alterum, impedit quod melos idoneum desideratur, canentes tamen iuvabit ante oculos Latina verba habere, quorum quasi imaginem Anglicam voce excitant.

Libellus iste hymnos continet, quot Anglice versi libro intersunt qui vocatur *Hymns Ancient and Modern*, ut nuper emendatus est. non integra proponuntur semper poemata, quod ipsa longitudo saepe vetuit, sed ii plerumque versus qui in libro Anglico habentur. est quidem ubi plus hic exhibetur quam illic (ut in hymnis XVIIII, CXXXXIIII), sed quia significatio sine versibus iis imperfecta fuisset. raro, ne id necesse foret, vox aliqua (ut in hymno CXIIII) variata est. interdum qui hymnos Anglice verterunt, de industria sensum Latinum commutaverunt. eius modi locis Latina verba, ut erant, hic describuntur, uncis tamen inclusa, ne cantor incautus incidat. exemplo sint hymni LXV, LXXXX, CI. hymni XXXmi versus unus ideo deest, quod Latinam formam nusquam adhuc repperimus.

Textum, quem in hymnis antiquioribus liber praefert, ministravit vir unice in ea re doctus, Arthurus S. Walpole. is volumen e prelo Cantabrigiensi mox prolaturus est, quod pristinos Latinae

ecclesiae hymnos cum disputationibus commentationibusque complectetur, unde pars quaedam hic lucem anticipat. est tamen agnoscendum, ne viro facillimo molestum sit, locis tribus vel quattuor deseruisse nos severiorem eius sententiam. legit Walpole in hymno XV, versu 7, *audita ut praeconia*, accusativo, ut ferunt, absolute posito; versu 13 *non demnes* legit. quae nobis obscuriora videbantur quam ut iucunde canerentur. syllabas eandem ob causam singulas in hymnis XXXVII, LXVII, LXVIII supplevimus. ceterorum hymnorum textus undique desumptus est. gratias tamen agimus praecipuas reverendis eruditisque viris, Iohanni Julian S.T.P., Iacobo Mearns, Roberto M. Moorsom, partim pro scriptis eorum vulgatis, partim pro beneficiis familiarioribus.

Plura de his ceterisque hymnis invenient studiosi in libro mox in publicum prodituro qui titulum habet *The Historical Edition of Hymns Ancient and Modern.*

Commonere superest hymnos eos qui ad usum insignis ecclesiae Sarum pertinent in hoc libro litteris notari ad dexteram partem paginae praemissis. perpaucis aliarum ecclesiarum sed Anglicarum, breviario excerptis praefixa littera Italico modo paulum declinatur. litterae autem significant—

C. —ad Completorium.
L. —ad Laudes.
M. —ad Matutinas.
N. —ad Nonam.
P. —ad Primam.
Pr.—in Processione.
S. —ad Sextam.
T. —ad Tertiam.
V. —ad Vesperas.

(1) P.

IAM lucis orto sidere
  Deum precemur supplices,
ut in diurnis actibus
nos servet a nocentibus ;

linguam refrenans temperet,
ne litis horror insonet ;
visum fovendo contegat,
ne vanitates hauriat.

sint pura cordis intima,
absistat et vecordia,
carnis terat superbiam
potus cibique parcitas :

ut cum dies abscesserit,
noctemque sors reduxerit,
mundi per abstinentiam
ipsi canamus gloriam.

Deo Patri sit gloria
eiusque soli Filio
sancto simul cum Spiritu
nunc et per omne saeculum. Amen.

II (2) L.

SPLENDOR paternae gloriae,
  de luce lucem proferens,
lux lucis, et fons luminis,
dies dierum inluminans ;

verusque sol inlabere
micans nitore perpeti,
iubarque sancti Spiritus
infunde nostris sensibus.

votis vocemus et Patrem,
Patrem perennis gloriae,
Patrem potentis gratiae,
culpam releget lubricam,

informet actus strenuos,
dentem retundat invidi,
casus secundet asperos,
donet gerendi gratiam ;

mentem gubernet et regat
casto fideli corpore :
fides calore ferveat,
fraudis venena nesciat.

Christusque nobis sit cibus,
potusque noster sit fides ;
laeti bibamus sobriam
ebrietatem Spiritus.

laetus dies hic transeat ;
pudor sit ut diluculum,
fides velut meridies ;
crepusculum mens nesciat.

aurora cursus provehit ;
aurora totus prodeat,
in Patre totus Filius,
et totus in Verbo Pater.

Deo Patri sit gloria
eiusque soli Filio
sancto simul cum Spiritu
nunc et per omne saeculum. Amen.

III (9) T.

NUNC sancte nobis Spiritus,
unum Patri cum Filio,
dignare promptus ingeri
nostro refusus pectori.

os, lingua, mens, sensus, vigor,
confessionem personent;
flammescat igne caritas,
accendat ardor proximos.

praesta, Pater piissime,
Patrisque compar unice,
cum Spiritu Paraclito,
et nunc et in perpetuum. Amen.

IIII (10) S.

RECTOR potens, verax Deus,
qui temperas rerum vices,
splendore mane instruis,
et ignibus meridiem;

exstingue flammas litium,
aufer calorem noxium,
confer salutem corporum
veramque pacem cordium.

praesta, Pater piissime,
Patrisque compar unice,
cum Spiritu Paraclito,
et nunc et in perpetuum. Amen.

V (11) N.

RERUM Deus tenax vigor,
inmotus in te permanens,
lucis diurnae tempora
successibus determinans ;

largire clarum vespere,
quo vita nusquam decidat,
sed praemium mortis sacrae
perennis instet gloria.

praesta, Pater piissime,
Patrisque compar unice,
cum Spiritu Paraclito,
et nunc et in perpetuum. Amen.

VI (15) V.

LUCIS creator optime,
lucem dierum proferens,
primordiis lucis novae
mundi parans originem :

qui mane iunctum vesperi
diem vocari praecipis ;
taetrum chaos inlabitur,
audi preces cum fletibus :

ne mens gravata crimine
vitae sit exsul munere,
dum nil perenne cogitat,
seseque culpis inligat.

caelorum pulset intimum,
vitale tollat praemium ;
vitemus omne noxium,
purgemus omne pessimum.

praesta, Pater piissime,
Patrisque compar unice,
cum Spiritu Paraclito,
et nunc et in perpetuum. Amen.

VII (16)

LABENTE iam solis rota,
inclinat in noctem dies ;
sic vita supremam cito
festinat ad metam gradu.

o Christe, dum fixus cruci
expandis orbi bracchia,
amare da crucem ; tuo
da nos in amplexu mori.

Deo Patri sit gloria
eiusque soli Filio
sancto simul cum Spiritu
nunc et per omne saeculum. Amen.

VIII (17)

SOL praeceps rapitur, proxima nox adest ;
ne divinus amor pectore langueat,
haec complenda dies est
digna vesperis hostia.

ut Christus moriens in cruce spiritum
commendans patrias tradidit in manus,
totam mens mea summo
se vult tradere numini.

eius sub placito nil aliud volens,
curans, vel meditans, tota reponitur,
et tranquilla quiescit,
cunctis et sibi mortua.

vivam non ego iam, sed Deus omnium
in me vivat amans, regnet et imperet,
et mi sancta Trias sit
totum semper in omnibus. Amen.

VIIII (**34**) C.

TE lucis ante terminum,
rerum creator, poscimus,
ut solita clementia
sis praesul ad custodiam.

procul recedant somnia
et noctium phantasmata,
hostemque nostrum conprime,
ne polluantur corpora.

praesta, Pater omnipotens,
per Iesum Christum Dominum,
qui tecum in perpetuum
regnat cum sancto Spiritu. Amen.

X (**36**) V.

O LUX beata, Trinitas
et principalis Unitas,
iam sol recedit igneus,
infunde lumen cordibus.

te mane laudum carmine,
te deprecamur vespere ;
te nostra supplex gloria
per cuncta laudet saecula.

Deo Patri sit gloria
eiusque soli Filio
sancto simul cum Spiritu
nunc et per omne saeculum. Amen.

XI (**37**)

EN dies est dominica,
summo cultu dignissima
ob octavam dominicae
resurrectionis sacrae.

Christi nam resurrectio
nostra scitur provectio ;
quotquot in ipsum credimus,
cum ipso resurreximus.

in ipso sumus singuli
facti superditissimi ;
sunt sua quaeque propria
nobis facta communia,

claritas, perpetuitas,
beata immortalitas,
gaudia, pax, deliciae,
ex eius nobis munere.

tibi factori temporum,
qui vera quies mentium,
sit laus, honor, et gloria
hac die et in saecula. Amen.

XII (38)

DIE parente temporum,
quo numen extra proferens
rerum Pater, fons omnium,
verbo fit orbis artifex,

quo morte victa Filius
se de sepulcro suscitat,
donisque mentes igneis
fecundat almus Spiritus,

adsit refusa cordibus,
qua ferveamus, caritas,
qua praedicemus debitis
vitae datorem laudibus.

qui me supremi numinis,
Pater, creas imaginem,
te mente tota cogitem
et corde toto diligam.

tui simul sim funeris
novaeque vitae particeps
Fili ; tibi iam consecrer
amoris igne victima.

Auctor sacrorum munerum
et ipse munus sanctius,
sis fax perennis, flammeo
ut te requiram pectore.

tibi, Deus cordis mei,
quem deprecor ter optimum,
toto modo me devovens
totis amo te viribus. Amen.

XIII (42)

O LUCE qui mortalibus
lates inaccessa, Deus,
praesente quo sancti tremunt
nubuntque vultus angeli,

hic seu profunda conditi
demergimur caligine :
aeternus at noctem suo
fulgore depellet dies.

hunc nempe nobis praeparas,
nobis reservas hunc diem,
quem vix adumbrat splendida
flammantis astri claritas.

moraris, heu ! nimis diu
moraris, optatus dies ;
ut te fruamur, noxii
linquenda moles corporis.

his cum soluta vinculis
mens evolarit, o Deus,
videre te, laudare te,
amare te non desinet.

ad omne nos apta bonum,
fecunda donis Trinitas ;
fac lucis usurae brevi
aeterna succedat dies. Amen.

ADVENT

XIIII (43) V.

CONDITOR alme siderum,
aeterna lux credentium,
Christe, redemptor omnium,
exaudi preces supplicum :

qui, condolens interitu
mortis perire saeculum,
salvasti mundum languidum,
donans reis remedium :

vergente mundi vespere,
uti sponsus de thalamo,
egressus honestissima
virginis matris clausula.

cuius forti potentiae
genu curvantur omnia ;
caelestia, terrestria
fatentur nutu subdita.

te deprecamur, hagie,
venture iudex saeculi,
conserva nos in tempore
hostis a telo perfidi.

laus, honor, virtus, gloria
Deo Patri cum Filio
sancto simul Paraclito
in sempiterna saecula. Amen.

XV (**44**) **M.**

VERBUM supernum prodiens,
a Patre olim exiens,
qui natus orbi subvenis
cursu declivi temporis,

inlumina nunc pectora,
tuoque amore concrema,
audito ut praeconio
sint pulsa tandem lubrica.

iudexque cum post aderis,
rimari facta pectoris,
reddens vicem pro abditis
iustisque regnum pro bonis,

non demum artemur malis
pro qualitate criminis,
sed cum beatis compotes
simus perennes caelibes.

laus, honor, virtus, gloria
Deo Patri cum Filio
sancto simul Paraclito
in sempiterna saecula. Amen.

XVI (**45, 46**) L.

VOX clara ecce intonat,
obscura quaeque increpat;
pellantur eminus somnia,
ab aethere Christus promicat.

mens iam resurgat torpida,
quae sorde exstat saucia:
sidus refulget iam novum,
ut tollat omne noxium.

e sursum Agnus mittitur
laxare gratis debitum;
omnes pro indulgentia
vocem demus cum lacrimis:

secundo ut cum fulserit
mundumque horror cinxerit,
non pro reatu puniat,
sed pius nos tunc protegat.

laus, honor, virtus, gloria
Deo Patri cum Filio
sancto simul Paraclito
in sempiterna saecula. Amen.

XVII (47)

VENI, veni, Emmanuel;
captivum solve Israel,
qui gemit in exilio,
privatus Dei Filio.
gaude, gaude; Emmanuel
nascetur pro te, Israel.

veni, o Iesse Virgula;
ex hostis tuos ungula,
de specu tuos tartari
educ et antro barathri.
gaude, gaude; Emmanuel
nascetur pro te, Israel.

veni, veni, o Oriens;
solare nos adveniens;
noctis depelle nebulas
dirasque noctis tenebras.
gaude, gaude; Emmanuel
nascetur pro te, Israel.

veni, Clavis Davidica;
regna reclude caelica;
fac iter tutum superum,
et claude vias inferum.
gaude, gaude; Emmanuel
nascetur pro te, Israel.

veni, veni, Adonai,
qui populo in Sinai
legem dedisti vertice
in maiestate gloriae.
gaude, gaude ; Emmanuel
nascetur pro te, Israel. Amen.

XVIII (48)

INSTANTIS adventum Dei
poscamus ardenti prece,
festisque munus inclytum
praeoccupemus canticis.

aeterna proles feminae
non horret includi sinu ;
fit ipse servus, ut iugo
nos servitutis eximat.

mansuetus et clemens venit ;
occurre, festina, Sion :
ultro tibi quam porrigit,
ne dura pacem respuas.

mox nube clara fulgurans
mundi redibit arbiter,
suique membra corporis
caelo triumphator vehet.

fetus tenebrarum, die
cedant propinquo crimina ;
Adam reformetur vetus,
imago succedat novi.

qui liberator advenis,
Fili, tibi laus maxima
cum Patre et almo Spiritu
in sempiterna saecula. Amen.

XVIIII (**49**)

IORDANIS oras praevia
vox ecce Baptistae quatit:
praeconis ad grandes sonos
ignavus abscedat sopor.

[auctoris adventum sui
tellus et aether et mare
praegestiente sentiunt
et iam salutant gaudio.]

mundemus et nos pectora:
Deo propinquanti viam
sternamus, et dignam domum
tanto paremus hospiti.

tu nostra, tu, Iesu, salus;
tu robur et solacium:
arens ut herba, te sine
mortale tabescit genus.

aegris salutarem manum
extende; prostratos leva;
ostende vultum; iam suus
mundo reflorescet decor.

qui liberator advenis,
Fili, tibi laus maxima
cum Patre et almo Spiritu
in sempiterna saecula. Amen.

XX (**54**)

IN noctis umbra desides
dum somnus artus occupat,
ad te, Deus, fidelibus
mens excubat suspiriis.

desiderate gentibus,
Verbum Patris, mundi salus,
audi preces gementium,
tandemque lapsos excita.

adsis redemptor, et tuae
plebis relaxans crimina,
Adae scelus quas clauserat,
reclude caelestes domos.

qui liberator advenis,
Fili, tibi laus maxima
cum Patre cumque Spiritu
in sempiterna saecula. Amen

XXI (**55**) **V.**

VENI, redemptor gentium ;
ostende partum virginis ;
miretur omne saeculum.
talis decet partus Deo.

non ex virili semine
sed mystico spiramine
Verbum Dei factum est caro,
fructusque ventris floruit.

alvus tumescit virginis,
claustrum pudoris permanet ;
vexilla virtutum micant,
versatur in templo Deus.

procedit e thalamo suo,
pudoris aula regia,
geminae gigans substantiae,
alacris ut currat viam.

egressus eius a Patre,
regressus eius ad Patrem ;
excursus usque ad inferos,
recursus ad sedem Dei.

aequalis aeterno Patri,
carnis tropaeo accingere,
infirma nostri corporis
virtute firmans perpeti.

praesepe iam fulget tuum,
lumenque nox spirat novum,
quod nulla nox interpolet
fideque iugi luceat.

gloria tibi, Domine,
qui natus es de virgine,
cum Patre et sancto Spiritu,
in sempiterna saecula. Amen.

XXII (56) L. et V.

A SOLIS ortus cardine
ad usque terrae limitem
Christum canamus principem
natum Maria virgine.

Beatus auctor saeculi
servile corpus induit,
ut carne carnem liberans
ne perderet quod condidit.

Clausa puellae viscera
caelestis intrat gratia ;
venter puellae baiulat
secreta quae non noverat.

Enixa est puerpera,
quem Gabriel praedixerat,
quem matris alvo gestiens
clausus Iohannes senserat.

Faeno iacere pertulit,
praesepe non abhorruit,
parvoque lacte pastus est,
per quem nec ales esurit.

Gaudet chorus caelestium,
et angeli canunt Deum,
palamque fit pastoribus
pastor creator omnium.

gloria tibi, Domine,
qui natus es de virgine,
cum Patre et sancto Spiritu,
in sempiterna saecula. Amen.

XXIII (57) **M.**

CHRISTE, redemptor omnium,
ex Patre Patris unice,
solus ante principium
natus ineffabiliter,

tu lumen, tu splendor Patris,
tu spes perennis omnium :
intende quas fundunt preces
tui per orbem famuli.

memento, salutis auctor,
quod nostri quondam corporis
ex inlibata virgine
nascendo formam sumpseris.

sic praesens testatur dies,
currens per anni circulum,
quod solus a sede Patris
mundi salus adveneris.

hunc caelum, terra, hunc mare,
hunc omne quod in eis est,
auctoris adventu sui
laudat exultans cantico.

nos quoque, qui sancto tuo
redempti sanguine sumus,
ob diem natalis tui
hymnum novum concinimus.

gloria tibi, Domine,
qui natus es de virgine,
cum Patre et sancto Spiritu,
in sempiterna saecula. Amen.

XXIIII (**58**) *C.*

CORDE natus ex Parentis ante mundi exordium,
Alpha et ω cognominatus, ipse fons et clausula
omnium quae sunt, fuerunt, quaeque post futura sunt,
saeculorum saeculis.

ipse iussit, et creata, dixit ipse, et facta sunt
terra, caelum, fossa ponti, trina rerum machina,
quaeque in his vigent sub alto solis et lunae globo,
saeculorum saeculis.

corporis formam caduci, membra morti obnoxia
induit, ne gens periret primoplasti ex germine,
merserat quem lex profundo noxialis tartaro,
saeculorum saeculis.

o beatus ortus ille, virgo cum puerpera
edidit nostram salutem, feta sancto Spiritu,
et puer, redemptor orbis, os sacratum protulit,
saeculorum saeculis.

psallat altitudo caeli, psallant omnes angeli ;
quidquid est virtutis usquam psallat in laudem Dei:
nulla linguarum silescat, vox et omnis consonet,
saeculorum saeculis.

ecce, quem vates vetustis concinebant saeculis,
quem prophetarum fideles paginae spoponderant,
emicat promissus olim ; cuncta conlaudent eum,
saeculorum saeculis.

macte iudex mortuorum, macte rex viventium,
dexter in Parentis arce qui cluis virtutibus,
omnium venturus inde iustus ultor criminum,
saeculorum saeculis.

te senes et te iuventus, parvulorum te chorus,
turba matrum virginumque, simplices puellulae,
voce concordes pudicis perstrepant concentibus,
saeculorum saeculis.

tibi, Christe, sit cum Patre hagioque Pneumate
hymnus, decus, laus perennis, gratiarum actio,
honor, virtus, victoria, regnum aeternaliter,
saeculorum saeculis. Amen.

XXV (**59**)

ADESTE, fideles,
laeti triumphantes :
venite, venite in Bethlehem ;
natum videte regem angelorum.
venite, adoremus Dominum.

Deum de Deo,
lumen de lumine,
gestant puellae viscera,
Deum verum, genitum, non factum.
    venite, adoremus Dominum.

cantet nunc 'Io'
chorus angelorum ;
cantet nunc aula caelestium,
Gloria in excelsis Deo.
    venite, adoremus Dominum.

ergo qui natus
die hodierna,
Iesu, tibi sit gloria,
Patris aeterni Verbum caro factum.
    venite, adoremus Dominum. Amen.

XXVI (60)

IAM desinant suspiria ;
  audivit ex alto Deus :
caeli patescunt ; en adest
promissa pax mortalibus.

profunda noctis otia
caelestis abrumpit chorus,
natumque festo carmine
annuntiat terris Deum.

specum sacratam pervigil
dum turba pastorum subit,
eamus et castis pia
cunis feramus oscula.

at quale nobis panditur
intrantibus spectaculum !
praesepe, faenum, fasciae,
parens inops, infans puer.

tune ille, Christe, Filius
et splendor aeterni Patris ?
illumne cerno, qui levi
orbem pugillo sustinet ?

sic est : verenda, queis lates,
fides penetrat nubila :
agnosco quem proni vident,
tremunt, adorant angeli.

agis magistrum vel tacens :
ex hac cathedra nos doces
vitare quod carni placet,
caro quod horret perpeti.

castos amores nutriens,
sanans tumentes spiritus,
divine nostris o puer
praecordiis innascere. Amen.

XXVII (67) C.

SALVATOR mundi Domine,
qui nos salvasti hodie,
in hac nocte nos protege,
et salva omni tempore.

adesto nunc propitius,
et parce supplicantibus ;
tu dele nostra crimina,
tu tenebras illumina.

ne mentem somnus opprimat,
nec hostis nos subripiat,
nec ullis caro, petimus,
commaculetur sordibus.

te, reformator sensuum,
votis precamur cordium,
ut puri castis mentibus
surgamus a cubilibus.

gloria tibi, Domine,
qui natus es de virgine,
cum Patre et sancto Spiritu
in sempiterna saecula.

Vel

sit laus, perennis gloria
Deo Patri cum Filio,
sancto simul Paraclito,
in sempiterna saecula. Amen

XXVIII (**68**)

O qui tuo, dux martyrum,
praefers coronam nomine,
non de caducis floribus
tibi coronam nectimus.

tuo cruenta sanguine
quam saxa fulgent pulchrius !
aptata sacro vertici
non sic micarent sidera.

quot facta fronti vulnera,
tot tela lucis emicant,
et angelo monstrat parem
quod prodit e vultu iubar.

tu prima Christo victimae
vitam rependis victima,
primusque testis aemulo
Deum fateris funere.

tu primus ostensam tibi
maris rubri sulcas viam :
quot te sequentur martyrum
quibus praeis exercitus !

qui natus es de virgine,
Iesu, tibi sit gloria
cum Patre cumque Spiritu
in sempiterna saecula. Amen.

XXVIIII (69)

QUAE dixit, egit, pertulit
Verbum Dei factum caro,
scriptis viri caelestibus
tres illa mundo nuntiant.

sublimis omnes transvolat,
et raptus ad sedem Patris,
quod est apud Deum Deus,
Verbum Iohannes praedicat.

Christi recumbens in sinu
his haurit alte fontibus,
his et fluentis ebrius
eructat orbi quod bibit.

quas e beato pectore
flammas amoris concipit,
vox hinc amorem personat,
spirant amorem paginae.

o care Christo, qui cruci
te fixus heredem vocat,
tibique virgo virgini
matrem reliquit virginem.

qui natus es de virgine,
Iesu, tibi sit gloria
cum Patre cumque Spiritu
in sempiterna saecula. Amen.

XXX (71)

IUSSU tyranni pro fide
pulsus, Iohannes, exulas
fertur volatu libero
mens celsa supra sidera.

illic revelat se tibi
qui mortuus vivit Deus
agnus, salutis hostia,
et morte devicta leo.

arcana te vatem docet
regni sui mysteria :
pandit cruore martyrum
ubique spargendam fidem.

* * * *

da, Christe, nos tecum mori ;
tecum simul da surgere ;
terrena da contemnere,
amare da caelestia.

sit laus Patri ; laus Filio,
qui nos triumphata nece
ad astra secum dux vocat ;
compar tibi laus, Spiritus. Amen.

XXXI (72)

SALVETE, flores martyrum,
quos lucis ipso in limine
Christi insecutor sustulit,
ceu turbo nascentes rosas.

quid crimen Herodem iuvat?
vos, prima Christi victima,
grex inmolatorum tener,
palma et coronis luditis.

quid proficit tantum nefas?
inter coaevi sanguinis
fluenta solus integer
inpune Christus tollitur.

gloria tibi, Domine,
qui natus es de virgine,
cum Patre et sancto Spiritu
in sempiterna saecula. Amen

XXXII (73)

HYMNUM canentes martyrum
dicamus innocentium,
quos terra flentes perdidit,
gaudens sed aethra suscipit:
quorum tuentur angeli
vultum Patris per saecula
eiusque laudant gratiam,
hymnum canentes martyrum.

quos rex peremit impius,
pius sed auctor colligit,
secum beatos collocans
in luce regni perpetis ;
qui mansiones singulis
largitus in domo Patris
donat supernis sedibus,
quos rex peremit impius.

vox in Rama percrebuit,
lamenta luctus maximi ;
Rachel suos cum lacrimis
perfusa flevit filios ;
gaudent triumpho perpeti
tormenta quique vicerant,
quorum gemens ob verbera
vox in Rama percrebuit.

ne, grex pusille, formides
dentes leonis perfidos ;
pastor bonus nam pascua
vobis dabit caelestia.
agnum Dei qui candidum
mundo sequeris tramite,
manus latronis impias
ne, grex pusille, formides.

absterget omnem lacrimam
vestris Pater de vultibus.
mors vobis ultra non nocet
vitae receptis moenibus.
qui seminant in lacrimis,
longo metent in gaudio ;
genis lugentum conditor
absterget omnem lacrimam. Amen.

XXXIII (75)

DEBILIS cessent elementa legis ;
sat diu mentes timor occupavit ;
foedus aeterni stabilire Iesus
coepit amoris.

sole de vero radius, paterni
luminis purus sine nube splendor,
probra peccati puer ecce tinctus
sanguine praefert.

stillat excisos pueri per artus
efficax noxas abolere sanguis :
obligat morti pretiosa totum
stilla cruorem.

haec dies nomen tibi comparavit,
o puer, pronus quod adoret orbis,
et simul dici, simul ipse Iesus
incipis esse.

summa laus Patri, simul aequa Nato,
qui suo mundum redimit cruore ;
par sit amborum tibi laus per omne,
Spiritus, aevum. Amen.

XXXIIII (76)

FELIX dies, quam proprio
Iesus cruore consecrat :
felix dies qua gestiit
opus salutis aggredi.

vix natus, ecce lacteum
profundit infans sanguinem :
libamen est hoc funeris,
amoris hoc praeludium.

intrans in orbem, iam Patris
mandata promptus exequi,
statum praeoccupat diem ;
ex qua potest, fit victima.

amore se facit reum,
poenasque solvit innocens ;
sub lege factus legifer,
a lege nos ut eximat.

quo Christus ictu laeditur,
lex abrogata concidit,
et incipit lex sanctior,
mansura semper caritas.

tu, Christe, quod non est tuum
nostro recide pectore :
inscribe nomen, intimis
inscribe legem cordibus.

qui natus es de virgine,
Iesu, tibi sit gloria
cum Patre cumque Spiritu
in sempiterna saecula. Amen.

XXXV (77) (cf. 89.

LAPSUS est annus, redit annus alter :
vita sic mutis fugit acta pinnis :
tu, Deus, cursum moderaris unus
arbiter aevi.

gens tuis plaudit cumulata donis ;
te simul votis Dominum precatur,
servet intactum fidei verendae
patria munus.

supplices poscunt alimenta cives ;
finibus morbos patriis repellas ;
larga securae referas benignus
commoda pacis.

postulant culpas venia relaxes ;
limites artos vitiis reponas ;
post graves pugnas tua det salubrem
dextera palmam.

noxiae vitae maculas perosi,
cor, Deus, nostrum tibi devovemus ;
da bonos annos, facilemque patris
indue vultum.

dum dies currunt, redeunt et anni,
et gradu certo sibi saecla cedunt,
debitas laudes Triadi supremae
concinat orbis. Amen.

XXXVI (79) **V. et M.**

HOSTIS Herodes impie,
Christum venire quid times ?
non eripit mortalia,
qui regna dat caelestia.

Ibant magi, quam viderant,
stellam sequentes praeviam :
lumen requirunt lumine,
Deum fatentur munere.

Lavacra puri gurgitis
caelestis Agnus attigit ;
peccata, quae non detulit,
nos abluendo sustulit.

Novum genus potentiae,
aquae rubescunt hydriae,
vinumque iussa fundere
mutavit unda originem.

gloria tibi, Domine,
qui apparuisti hodie,
cum Patre et sancto Spiritu
in sempiterna saecula. Amen.

XXXVII (**80**) **L.**

A PATRE unigenitus
ad nos venit per virginem,
Baptisma cruce consecrans,
Cunctos fideles generans.

De caelo celsus prodiit,
Excepit formam hominis,
Facturam morte redimens,
Gaudia vitae largiens.

Hoc te, redemptor, quaesumus,
Inlabere propitius,
Klarumque nostris sensibus
Lumen praebe fidelibus.

Mane nobiscum, Domine,
Noctem obscuram remove,
Omne delictum ablue,
Piam medellam tribue.

Quem iam venisse novimus,
Redire item credimus,
Sceptrum [tu] tuum inclitum
Tuo defende clipeo.

gloria tibi Domine,
qui apparuisti hodie,
cum Patre et sancto Spiritu
in sempiterna saecula. Amen.

XXXVIII (81)

QUAE stella sole pulchrior
coruscat? haec regis novi
revelat ortus, haec Dei
praesignat ad cunas iter.

stat vatibus priscis fides;
en stella surgit ex Iacob:
arrectus ad spectaculum
eous orbis emicat.

dum sidus admonet foris,
lux fulget intus clarior,
suadetque vi blanda magos
signi datorem quaerere.

segnes amor nescit moras:
labor, pericla, nil movent;
domum, propinquos, patriam
Deo vocante deserunt.

micante dum nos allicis,
o Christe, stella gratiae,
ne tarda caelesti sinas
obstare corda lumini.

qui lumen est, sit laus Patri;
qui se revelat gentibus,
sit laus perennis Filio;
par sit tibi laus, Spiritus. Amen.

XXXVIIII (82)

O SOLA magnarum urbium
maior Bethlem, cui contigit
ducem salutis caelitus
incorporatum gignere :

quem stella, quae solis rotam
vincit decore ac lumine,
venisse terris nuntiat
cum carne terrestri Deum.

videre postquam illum magi,
eoa promunt munera,
stratique votis offerunt
tus, myrram, et aurum regium.

regem Deumque adnuntiant
thesaurus et fragrans odor
turis Sabaei, ac myrreus
pulvis sepulcrum praedocet.

gloria tibi, Domine,
qui apparuisti hodie,
cum Patre et sancto Spiritu
in sempiterna saecula. Amen.

XXXX (85)

CHRISTUS tenebris obsitam
lustrando Iudaeam docet :
gens obstinato pectore
Christum docentem respuit.

sese Deum signis probat :
surgunt sepulcris corpora,
erepta muto vox redit,
claudo gradus, caeco dies.

gens dura, flecti nescia,
aures sacris sermonibus
obturat, et solem fugit
amore noctis perdita.

nos lumen ambimus, Patris
in quo refulget claritas :
ne mentibus subrepere
taetram sinas caliginem.

numquam recedas a piis,
lux sempiterna, cordibus ;
te veritate fulgeant,
te caritate ferveant.

qui natus es de virgine,
Iesu, tibi sit gloria
cum Patre cumque Spiritu
in sempiterna saecula. Amen.

XXXXI (86) H.B. C.of E. in C[illegible] no. 95

DIVINE crescebas puer ;
crescendo discebas mori :
haec destinata tunc erant
mortis tuae praeludia.

satus Deo, volens tegi,
elegit obscurum patrem ;
qui fecit aeternas domos,
domo latet sub paupere.

caelum manus quae sustinent,
fabrile contrectant opus ;
supremus astrorum parens
fit ipse vilis artifex.

tremenda cuius praepetes
mandata portant spiritus,
cui pronus orbis subditur,
se sponte fabro subicit.

qui natus es de virgine,
Iesu, tibi sit gloria
cum Patre cumque Spiritu
in sempiterna saecula. Amen.

XXXXII (89)

ALLELUIA, dulce carmen, vox perennis gaudi
Alleluia laus suävis est choris caelestibus,
quam canunt Dei manentes in domo per saecula.

'Alleluia' laeta mater concinis Ierusalem,
'Alleluia' vox tuorum civium gaudentium ;
exsules nos flere cogunt Babylonis flumina.

'Alleluia' non meremur nunc perenne psallere,
Alleluia nos reatus cogit intermittere ;
tempus instat, quo peracta lugeamus crimina.

unde supplices precamur te, beata Trinitas,
ut sinas nobis audire paschale mysterium,
quod canunt Dei manentes in domo per saecula.
Amen

XXXXIII (90)

TE laeta, mundi conditor,
unum manet semper quies :
festiva caelestes choros
semper decent praeconia.

nos, sanctitate perdita,
poenalis expectat labor ;
hymnosne dulces patriae
maesti canamus exules ?

qui te piis placabilem
spondes futurum fletibus,
lugere da longi, Pater,
delicta causas exili.

verum salubrem temperet
spe nixa maerorem fides :
tu mox quieti nos tuae
laetisque reddes canticis.

sit summa Patri gloria
eiusque soli Filio,
sancto simul cum Spiritu,
nunc et per omne saeculum. Amen.

XXXXIIII (**91**)

REBUS creatis nil egens,
temet beatus, nunc tuo
prodis ab arcano, Deus,
mundoque das primordia.

tu cuncta quae non sunt vocas,
et illa se sistunt tibi
miroque concentu suo
dant conditori gloriam.

at mundus e sinu tuo
dum prodit aspectabilis,
augustiorem cogitas
mundum, creator, alterum.

illum redemptor artifex
virtutibus condet suis,
sparsoque terris omnibus
verbi potentis semine.

illum peractis saeculis
caelo locabit, et throni
mensaeque consortem suae
Deo redonabit Patri.

utrique mundo qui praees,
utrumque conserva, Pater ;
utrumque, Fili, dirige ;
utrumque, Flamen, consecra. Amen.

XXXXV (**92**) V.

EX more docti mystico
servemus en ieiunium,
denum dierum circulo
ducto quater notissimo.

lex et prophetae primitus
hoc praetulerunt, postmodum
Christus sacravit, omnium
rex atque factor temporum.

utamur ergo parcius
verbis, cibis et potibus,
somno, iocis, et artius
perstemus in custodia ;

vitemus autem pessima,
quae subruunt mentes vagas,
nullumque demus callido
hosti locum tyrannidis.

dicamus omnes cernui,
clamemus atque singuli,
ploremus ante iudicem,
flectamus iram vindicem.

nostris malis offendimus
tuam, Deus, clementiam :
effunde nobis desuper
remissor indulgentiam.

memento quod sumus tui,
licet caduci plasmatis ;
ne des honorem nominis
tui, precamur, alteri.

laxa malum quod fecimus ;
auge bonum quod poscimus ;
placere quo tandem tibi
possimus hic et perpetim.

praesta, beata Trinitas,
concede, simplex Unitas,
ut fructuosa sint tuis
ieiuniorum munera. Amen.

XXXXVI (**93**) **M.**

SUMMI largitor praemii,
spes qui es unica mundi,
preces intende servorum
ad te devote clamantum.

nostra te conscientia
grave se offendisse monstrat,
quam emundes supplicamus
ab omnibus piaculis.

si renuis, quis tribuet ?
indulge, quia potens es :
si corde rogaris mundo,
certe debes ex promisso.

ergo acceptare nostrum
qui sacrasti ieiunium,
quo mystice paschalia
capiamus sacramenta.

summa nobis hoc conferat
in deitate Trinitas,
in qua gloriatur unus
per cuncta saecula Deus. Amen.

XXXXVII (94) L.

AUDI, benigne conditor,
nostras preces cum fletibus
in hoc sacro ieiunio
fusas quadragenario.

scrutator alme cordium,
infirma tu scis virium ;
ad te reversis exhibe
remissionis gratiam.

multum quidem peccavimus,
sed parce confitentibus ;
ad laudem nominis tui
confer medellam languidis.

sic corpus extra conteri
dona per abstinentiam,
ieiunet ut mens sobria
a labe prorsus criminum.

praesta, beata Trinitas,
concede, simplex Unitas,
ut fructuosa sint tuis
ieiuniorum munera. Amen.

XXXXVIII (**95**) **V.**

ECCE tempus idoneum,
medicina peccaminum,
quibus Deum offendimus
corde, verbis, operibus :

qui pius et propitius
nobis pepercit hactenus,
ne nos cum nostris perderet
tantis iniquitatibus.

hunc igitur ieiuniis
cum precibus et lacrimis
multisque bonis aliis
placemus devotissime :

ut nos a cunctis sordibus
purgans ornet virtutibus,
angelicis et coetibus
nos iungat in caelestibus.

sit benedictus Genitor,
eiusque Unigenitus,
cum Spiritu Paraclito
in sempiterna saecula. Amen.

XXXXVIIII (**96**) **M.**

CLARUM decus ieiunii
monstratur orbi caelitus,
quod Christus auctor omnium
cibis dicavit abstinens.

hoc Moyses carus Deo
legisque lator factus est ;
hoc Heliam per aëra
curru levavit igneo.

hinc Daniel mysteria
victor leonum viderat;
per hoc amicus intimus
sponsi Iohannes claruit.

haec nos sequi dona, Deus,
exempla parsimoniae;
tu robur auge mentium,
dans spiritale gaudium.

praesta, Pater, per Filium,
praesta per almum Spiritum,
cum his per aevum triplici
unus Deus cognomine. Amen.

L (97) L.

IESU quadragenariae
dicator abstinentiae,
qui ob salutem mentium
hoc sanxeras ieiunium,

quo paradiso redderes,
servata parsimonia,
quos inde gastrimargiae
huc inlecebra depulit,

adesto nunc ecclesiae,
adesto paenitentiae,
quae pro suis excessibus
orat profusis fletibus.

tu retro acta crimina
tua remitte gratia,
et a futuris adhibe
custodiam mitissime:

ut expiati annuis
ieiuniorum victimis
tendamus ad paschalia
digne colenda gaudia.

praesta, Pater, per Filium,
praesta per almum Spiritum,
cum his per aevum triplici
unus Deus cognomine. Amen.

LI (98)

SOLLEMNE nos ieiunii
nunc tempus ad planctum vocat;
plorat sacerdos; flebili
clamore templa personant.

lugubris at frustra sonus
ad numen iratum venit,
ni corde pulsus intimo
sensum doloris indicet.

vultum rigantes fletibus
flectamus iram numinis,
quae criminis nostri memor
intentat ultrices minas.

o iuste iudex, o Deus,
sis lentus ad poenam, Pater;
das paenitendi tempora,
et cor simul da paenitens.

praesta, beata Trinitas,
concede, simplex Unitas,
ut fructuosa sint tuis
ieiuniorum munera. Amen.

LII (99)

EN tempus acceptabile,
tempus salutis nuntium,
quo paenitentis fletibus
patet thronus clementiae.

utamur ergo parcius
verbis, cibis et potibus,
somno, iocis, et artius
perstemus in custodia.

caelestis ardor ingerat
subire tecta frigida,
ubi recumbit indigens
et ipse Christus esurit.

hic largiore dextera
opes refundet caritas
caeloque prudens transferet,
festina ne mors auferat.

tibi, Deus, nos consecra
novis amoris ignibus ;
da puriora ferveant
intus forisque pectora.

laudanda semper Trinitas,
nunc praedicanda plenius,
per casta fac ieiunia
tibi fideles militent. Amen.

LIII (105) C.

CHRISTE, qui lux es et dies,
noctis tenebras detegis,
lucisque lumen crederis,
lumen beatum praedicans.

precamur, sancte Domine,
defende nos in hac nocte ;
sit nobis in te requies,
quietam noctem tribue.

ne gravis somnus inruat,
nec hostis nos subripiat,
nec caro illi consentiens
nos tibi reos statuat.

oculi somnum capiant,
cor ad te semper vigilet,
dextera tua protegat
famulos qui te diligunt.

defensor noster aspice,
insidiantem reprime ;
guberna tuos famulos,
quos sanguine mercatus es.

memento nostri, Domine,
in isto gravi corpore ;
qui es defensor animae,
adesto nobis, Domine.

Deo Patri sit gloria
eiusque soli Filio
sancto simul cum Spiritu
nunc et per omne saeculum. Amen.

LIIII (106) V.

VEXILLA regis prodeunt ;
fulget crucis mysterium,
quo carne carnis conditor
suspensus est patibulo.

confixa clavis viscera,
tendens manus, vestigia,
redemptionis gratia
hic inmolata est hostia.

quo vulneratus insuper
mucrone dirae lanceae,
ut nos lavaret crimine,
manavit unda, sanguine.

inpleta sunt, quae concinit
David fideli carmine,
dicendo nationibus
'Regnavit a ligno Deus.'

arbor decora et fulgida
ornata regis purpura,
electa digno stipite
tam sancta membra tangere !

beata cuius bracchiis
pretium pependit saeculi !
statera facta est corporis,
praedamque tulit tartari.

te, summa Deus Trinitas,
collaudet omnis spiritus :
quos per crucis mysterium
salvas, rege per saecula. Amen.

LV (**107**) **M. et L.**

PANGE, lingua, gloriosi praelium certaminis,
et super crucis tropaeum dic triumphum nobilem,
qualiter redemptor orbis inmolatus vicerit.

de parentis protoplasti fraude facta condolens,
quando pomi noxialis morte morsu conruit,
ipse lignum tunc notavit, damna ligni ut solveret.

hoc opus nostrae salutis ordo depoposcerat,
multiformis perditoris arte ut artem falleret,
et medellam ferret inde, hostis unde laeserat.

quando venit ergo sacri plenitudo temporis,
missus est ab arce Patris Natus, orbis conditor,
atque ventre virginali carne factus prodiit.

vagit infans inter arta conditus praesepia,
membra pannis involuta virgo mater adligat,
et pedes manusque, crura stricta pingit fascia.

lustra sex qui iam peracta, tempus inplens corporis
se volente, natus ad hoc, passioni deditus,
Agnus in crucis levatur inmolandus stipite.

hic acetum, fel, harundo, sputa, clavi, lancea ;
mite corpus perforatur ; sanguis, unda profluit :
terra, pontus, astra, mundus quo lavantur flumine.

crux fidelis, inter omnes arbor una nobilis,
nulla talem silva profert flore, fronde, germine,
dulce lignum dulce clavo dulce pondus sustinens !

flecte ramos, arbor alta ; tensa laxa viscera,
et rigor lentescat ille, quem dedit nativitas,
ut superni membra regis mite tendas stipite.

sola digna tu fuisti ferre pretium saeculi,
atque portum praeparare nauta mundo naufrago,
quem sacer cruor perunxit fusus Agni corpore.

gloria et honor Deo usquequo altissimo,
una Patri, Filioque, inclito Paraclito,
cuius honor et potestas in aeterna saecula. Amen.

LVI (108) C.

CULTOR Dei, memento
te fontis et lavacri
rorem subisse sanctum,
te chrismate innovatum.

fac, cum vocante somno
castum petis cubile,
frontem locumque cordis
crucis figura signet.

crux pellit omne crimen,
fugiunt crucem tenebrae,
tali dicata signo
mens fluctuare nescit.

procul, o procul, vagantum
portenta somniorum !
procul esto pervicaci
praestigiator astu !

o tortuose serpens,
discede ! Christus hic est ;
signum, quod ipse nosti,
damnat tuam catervam.

corpus licet fatiscens
iaceat recline paulum,
Christum tamen sub ipso
meditabimur sopore.

gloria aeterno Patri
et Christo vero regi
Paraclitoque sancto
et nunc et in perpetuum. Amen.

LVII (110)

GLORIA, laus, et honor tibi sit, rex Christe redemptor,
 cui puerile decus prompsit Hosanna pium.

Israel tu rex, Davidis et inclyta proles,
 nomine qui in Domini, rex benedicte, venis.

coetus in excelsis te laudat caelicus omnis
 et mortalis homo, cuncta creata simul.

plebs Hebraea tibi cum palmis obvia venit :
 cum prece, voto, hymnis adsumus ecce tibi.

hi tibi passuro solvebant munia laudis ;
 nos tibi regnanti pangimus ecce melos.

hi placuere tibi ; placeat devotio nostra,
 rex pie, rex clemens, cui bona cuncta placent.

gloria, laus, et honor tibi sit, rex Christe redemptor,
 cui puerile decus prompsit Hosanna pium.
 Amen.

LVIII (112)

SAEVO dolorum turbine
iactatur, atris obrutus
poenis, acerba sustinens,
redemptor affixus cruci.

pedes manusque horribili
clavi cruentant vulnere ;
cor, vultus, artus, pectora
sacro redundant sanguine.

flet, orat, et clamans obit :
cor matris ictum concidit ;
heu mater ! heu Fili ! dolor
ingrata frangat pectora.

montes, sepulcra, saxaque
scinduntur ; arva, flumina,
rupes, et aequor, contremunt,
templique velum scinditur.

o vos, viri, vos, parvuli,
nuptae, puellae, plangite ;
adstate maerentes cruci ;
pedes beatos ungite.

tu caritatis victima,
ut nostra tollas crimina,
nobis salubri perficis
adoptionem sanguine.

nostra ergo pax et gaudium,
sis vita, Iesu, et praemium ;
sis ductor et lux in via,
merces, corona in patria. Amen.

LVIIII (113)

PROME vocem, mens, canoram ; plange tristi carmine ;
dic crucifixi dolores, mortui dic vulnera,
innocens quae sponte Christus pro reis fert victima.

caesus immiti furore nostra propter crimina
nos suo livore sanat, nos iacentes erigit,
et fovet plagas tumentes et cruentas alligat.

trans manus pedesque fixus nostra rumpit vincula,
totque fontes sunt salutis, quot fluit plagis cruor ;
et quibus clavis tenetur, nos tenet fixos cruci.

mortui pectus sacratum vulneratur lancea,
inde sanguis mixtus unda fervidus prolabitur:
ad lavacrum praebet undam, ad coronas sanguinem.

fac, redemptor, hauriamus his aquas de fontibus;
poculum sint ac medella, sint et olim praemium,
ut redemptus te per omne laudet orbis saeculum.
Amen.

LX (114)

ATTOLLE paulum lumina,
peccator, atque disce
quantum malum sint crimina,
et tandem resipisce.
crucifixum aspice;
leges in hoc codice
quod proderit scivisse.

caput tristes aculei
spinarum pupugerunt;
manus pedesque ferrei
clavi perforaverunt;
et in membra cetera
foede nimis barbara
flagella saevierunt.

cum tantus dolor atterat
haec membra delicata,
magis cor eius vulnerat
mens hominum ingrata.
o dirum supplicium,
quo Mariae filium
excruciant peccata!

nemo dolorem pertulit
  isti parem dolori,
quem crucifixo intulit
  Iudaeus salvatori.
    per incredibilia
    voluit supplicia
  pro nobis Christus mori.

o homo, nunc considera
  quae damna sint peccati,
pro quo curando vulnera
  tot Christus debet pati.
    absque hoc auxilio
    igne nos perpetuo
  essemus condemnati.

o fuge ergo crimina,
  peccator, fuge mortem,
inferni fuge limina
  et damnatorum sortem.
    age Christo gratias,
    ut aeternae facias
  te vitae sic consortem.   Amen.

LXI (**115**)

IRA iusta conditoris imbre aquarum vindice
  criminosum mersit orbem, Noe in arca sospite;
mira tandem vis amoris lavit orbem sanguine.

o scientiae supernae altitudo impervia !
o suävitas benigni praedicanda pectoris !
servus erat morte dignus, rex luit poenam optimus.

quando culpis provocamus ultionem iudicis,
tunc loquentis protegamur sanguinis praesentia ;
ingruentium malorum tunc recedant agmina.

te redemptus laudet orbis, grata servans munera,
o salutis sempiternae dux et auctor inclyte,
qui tenes beata regna cum Parente et Spiritu.
Amen.

LXII (116)

IN passione Domini,
qua datur salus homini,
sit nostrum refrigerium
et cordis desiderium.

portemus in memoria
et poenas et opprobria
Christi, coronam spineam,
crucem, clavos, et lanceam,

et plagas sacratissimas,
omni laude dignissimas,
acetum, fel, harundinem,
mortis amaritudinem.

haec omnia nos satient,
et dulciter inebrient;
nos repleant virtutibus
et gloriosis fructibus.

te crucifixum colimus,
et toto corde poscimus
ut nos sanctorum coetibus
coniungas in caelestibus.

laus, honor, Christo vendito
et sine causa prodito,
passo mortem pro populo
in aspero patibulo. Amen.

LXIII (117)

O DEUS ego amo te,
nec amo te ut salves me,
aut quia non amantes te
aeterno punis igne.

tu, tu, mi Iesu, totum me
amplexus es in cruce;
tulisti clavos, lanceam,
multamque ignominiam,
innumeros dolores,
sudores, et angores,
et mortem, et haec propter me
ac pro me peccatore.

cur igitur non amem te,
o Iesu amantissime,
non ut in caelo salves me,
aut ne aeternum damnes me,
nec praemii ullius spe,
sed sicut tu amasti me?

sic amo et amabo te,
solum quia rex meus es
et solum quia Deus es. Amen.

LXIIII (118)

QUICUMQUE certum quaeritis
rebus levamen asperis,
seu culpa mordet anxia,
seu poena vos premit comes,

Iesu, qui ut agnus innocens
sese immolandum tradidit,
ad cor reclusum vulnere,
ad mite cor, accedite.

auditis ut suavissimis
invitet omnes vocibus,
'Venite quos gravat labor
premitque pondus criminum.'

o cor, voluptas caelitum,
cor, fida spes mortalium,
en hisce tracti vocibus
ad te venimus supplices.

tu nostra terge vulnera
ex te fluente sanguine;
tu da novum cor omnibus
qui te gementes invocant. Amen.

LXV (132)

STABAT mater dolorosa
iuxta crucem lacrimosa,
dum pendebat filius;
cuius animam gementem,
contristatam et dolentem,
pertransivit gladius.

o quam tristis et afflicta
fuit illa benedicta
mater unigeniti,
quae maerebat et dolebat
et tremebat, cum videbat
nati poenas inclyti!

quis est homo qui non fleret,
Christi matrem si videret
in tanto supplicio?
quis non posset contristari,
piam matrem contemplari
dolentem cum filio?

pro peccatis suae gentis
vidit Iesum in tormentis
   et flagellis subditum ;
vidit suum dulcem natum
morientem desolatum,
   dum emisit spiritum.

⌈eia mater, fons amoris,
me sentire vim doloris
   fac, ut tecum lugeam ;
fac ut ardeat cor meum,
in amando Christum Deum
   ut sibi complaceam.⌋   Amen.

LXVI (**140, 141**) V.

CHORUS novae Ierusalem
   novam meli dulcedinem
promat colens cum sobriis
paschale festum gaudiis,

quo Christus, invictus leo,
dracone surgens obruto,
dum voce viva personat,
a morte functos excitat.

quam devorarat improbus,
praedam refudit tartarus ;
captivitate libera
Iesum sequuntur agmina.

triumphat ille splendide,
et dignus amplitudine
soli polique patriam
unam facit rempublicam.

ipsum canendo supplices
regem precemur milites
ut in suo clarissimo
nos ordinet palatio.

per saecla metae nescia
Patri supremo gloria
honorque sit cum Filio
et Spiritu Paraclito. Amen.

LXVII (**142**) **M. et L.**

AURORA lucis rutilat,
caelum laudibus intonat,
mundus exultans iubilat,
gemens infernus ululat:

cum rex ille fortissimus,
mortis confractis viribus,
pede conculcans tartara,
solvit catena miseros.

ille, qui clausus lapide
custoditur sub milite,
triumphans pompa nobili
victor surgit de funere,

solutis iam gemitibus
et inferni doloribus,
quia 'Surrexit Dominus'
[re]splendens clamat angelus.

PARS ALTERA.

Tristes erant apostoli
de nece sui Domini,
quem poena mortis crudeli
saevi damnarunt impii.

sermone blando angelus
praedixit mulieribus:
'In Galilaea Dominus
videndus est quantocius.'

illae dum pergunt concite
apostolis hoc dicere,
videntes eum vivere,
osculantur pedes Dei.

quo agnito, discipuli
in Galilaeam propere
pergunt, videre faciem
desideratam Domini.

PARS TERTIA.

Claro paschali gaudio
sol mundo nitet radio,
cum Christum iam apostoli
visu cernunt corporeo.

ostensa sibi vulnera,
in Christi carne fulgida,
resurrexisse Dominum
voce fatentur publica.

rex Christe clementissime,
tu corda nostra posside,
ut tibi laudes debitas
reddamus omni tempore.

quaesumus, auctor omnium,
in hoc paschali gaudio
ab omni mortis impetu
tuum defendas populum.

gloria tibi, Domine,
qui surrexisti a mortuis,
cum Patre et sancto Spiritu
in sempiterna saecula. Amen.

LXVIII (143, 149) V.

AD cenam Agni providi,
[et] stolis albis candidi,
post transitum maris rubri
Christo canamus principi.

cuius corpus sanctissimum
in ara crucis torridum,
cruore eius roseo
gustando vivimus Deo;

protecti paschae vespere
a devastante angelo,
erepti de durissimo
Pharaonis imperio.

iam pascha nostrum Christus est,
qui immolatus agnus est;
sinceritatis azyma
caro eius oblata est.

o vera et digna hostia,
per quam fracta sunt tartara,
redempta plebs captivata,
reddita vitae praemia!

cum surgit Christus tumulo,
victor redit de barathro,
tyrannum trudens vinculo,
et reserans paradisum.

quaesumus, auctor omnium,
in hoc paschali gaudio
ab omni mortis impetu
tuum defendas populum.

gloria tibi, Domine,
qui surrexisti a mortuis,
cum Patre et sancto Spiritu
in sempiterna saecula. Amen.

LXVIIII (**144**) Pr.

SALVE, festa dies, toto venerabilis aevo,
qua Deus infernum vicit et astra tenet.

ecce renascentis testatur gratia mundi
omnia cum Domino dona redisse suo.

qui crucifixus erat, Deus ecce per omnia regnat,
dantque creatori cuncta creata precem.

pollicitam sed redde fidem, precor, alma potestas ;
tertia lux rediit; surge, sepulte meus.

non decet ut humili tumulo tua membra tegantur,
neu pretium mundi vilia saxa premant.

indignum est, cuius clauduntur cuncta pugillo,
ut tegat inclusum rupe vetante lapis.

lintea tolle, precor, sudaria, linque sepulcro ;
tu satis es nobis et sine te nihil est.

funeris exsequias pateris, vitae auctor et orbis,
intras mortis iter, dando salutis opem.

redde tuam faciem, videant ut saecula lumen ;
redde diem, qui nos te moriente fugit.

eripis innumerum populum de carcere mortis,
et sequitur liber, quo suus auctor adit.

tristia cesserunt infernae vincula legis,
expavitque chaos luminis ore premi. Amen.

LXX (**145**)

REX sempiterne caelitum,
rerum creator omnium,
aequalis ante saecula
semper Parenti Filius.

nascente qui mundo faber,
imaginem vultus tui
tradens Adamo, nobilem
limo iugasti spiritum ;

cum livor et fraus daemonis
foedasset humanum genus,
tu carne amictus perditam
formam reformas artifex.

qui, natus olim e virgine
nunc e sepulcro nasceris,
tecumque nos a mortuis
iubes sepultos surgere.

qui pastor aeternus gregem
aqua lavas baptismatis ;
haec est lavacrum mentium,
haec est sepulcrum criminum.

nobis diu qui debitae
redemptor affixus cruci
nostrae dedisti prodigus
pretium salutis sanguinem.

quaesumus, auctor omnium,
in hoc paschali gaudio
ab omni mortis impetu
tuum defendas populum.

gloria tibi, Domine,
qui surrexisti a mortuis,
cum Patre et sancto Spiritu
in sempiterna saecula. Amen.

LXXI (146)

Alleluia, Alleluia, Alleluia.

O FILII et filiae,
rex caelestis, rex gloriae,
morte surrexit hodie.
Alleluia.

et Maria Magdalene
et Iacobi et Salome
venerunt corpus ungere.
Alleluia.

in albis sedens angelus
respondit mulieribus
quia surrexit Dominus.
Alleluia.

discipulis adstantibus
in medio stetit Christus,
dicens, 'Pax vobis omnibus.
Alleluia.

postquam audivit Didymus
quia surrexerat Iesus,
remansit fide dubius.
Alleluia.

'Vide, Thoma, vide latus,
vide pedes, vide manus;
noli esse incredulus.'
Alleluia.

quando Thomas Christi latus,
pedes vidit, atque manus,
dixit, 'Tu es Deus meus.
Alleluia.

beati qui non viderunt
et firmiter crediderunt ;
vitam aeternam habebunt.
Alleluia.

in hoc festo sanctissimo
sit laus et iubilatio :
benedicamus Domino.
Alleluia. Amen.

LXXII (147)

CEDANT iusti signa luctus.
cessat metus, cedunt fluctus,
Moses mare superat,
Israelem liberat :
vita mortem morte stravit ;
Agnus sanguine nos lavit,
induens nos gloria.

surgit Christus e sepulcro
solo deitatis fulcro
nixa dum humanitas
superat miserias,
ut nos surgeremus rei ;
in humilitate Dei
nobis est victoria.

frustra victus orcus frendet ·
sol salutis nobis splendet ;
liberi sunt liberi :
servitus diaboli,
laqueus nunc est confractus ;
iam triumphus est peractus.
surgite ad praemia. Amen.

LXXIII (**148**) (C.P. 166)

Alleluia, Alleluia, Alleluia.

Finita iam sunt praelia,
est parta iam victoria :
gaudeamus et canamus,
'Alleluia.'

post fata mortis barbara
devicit Iesus tartara :
applaudamus et psallamus,
'Alleluia.'

surrexit die tertia
caelesti clarus gratia :
insonemus et cantemus,
'Alleluia.'

sunt clausa stygis ostia,
et caeli patent atria :
gaudeamus et canamus,
'Alleluia.'

per tua, Iesu, vulnera
nos mala morte libera,
ut vivamus et canamus,
'Alleluia.' Amen.

LXXIIII (**163**) **C.**

Iesu, salvator saeculi,
Verbum Patris altissimi,
lux lucis invisibilis,
custos tuorum pervigil,

tu fabricator omnium
discretor atque temporum,
fessa labore corpora
noctis quiete recrea ;

ut, dum gravi in corpore
brevi manemus tempore,
sic caro nostra dormiat
ut mens in Christo vigilet.

te deprecamur supplices
ut nos ab hoste liberes,
ne valeat seducere
tuo redemptos sanguine.

quaesumus, auctor omnium,
in hoc paschali gaudio
ab omni mortis impetu
tuum defendas populum.

gloria tibi, Domine,
qui surrexisti a mortuis,
cum Patre et sancto Spiritu
in sempiterna saecula. Amen.

LXXV (167) **V. et M.**

AETERNE rex altissime,
redemptor et fidelium,
quo mors soluta deperit,
datur triumphus gratiae:

scandens tribunal dexterae
Patris, potestas omnium
conlata est Iesu caelitus,
quae non erat humanitus;

ut trina rerum machina
caelestium, terrestrium,
et infernorum condita
flectat genu iam subdita.

tremunt videntes angeli
versam vicem mortalium :
culpat caro, purgat caro,
regnat Deus Dei caro.

tu esto nostrum gaudium,
qui es futurum praemium ;
sit nostra in te gloria
per cuncta semper saecula.

gloria tibi, Domine,
qui scandis super sidera,
cum Patre et sancto Spiritu
in sempiterna saecula. Amen.

LXXVI (168) L.

TU, Christe, nostrum gaudium
manens Olympo praeditum
mundi regis qui fabricam
mundana vincens gaudia,

hinc te precantes quaesumus,
ignosce culpis omnibus,
et corda sursum subleva
ad te superna gratia :

ut, cum rubente coeperis
clarere nube iudicis,
poenas repellas debitas,
reddas coronas perditas.

tu esto nostrum gaudium,
qui es **futurus** praemium ;
sit nostra in te gloria
per cuncta semper saecula.

gloria tibi, Domine,
qui scandis super sidera,
cum Patre et sancto Spiritu
in sempiterna saecula. Amen.

LXXVII (169) Pr. Vide LXVIII

SALVE, festa dies, toto venerabilis aevo,
qua Deus infernum vicit et astra tenet.

ecce renascentis testatur gratia mundi,
omnia cum Domino dona redisse suo.

tempora florigero rutilant distincta sereno,
et maiore poli lumine porta patet.

namque triumphanti post tristia tartara Christo
undique fronde nemus, gramina flore favent.

legibus inferni oppressis, super astra meantem
laudant rite Deum lux, polus, arva, fretum.

solve catenatas inferni carceris umbras,
et revoca sursum quidquid ad ima ruit.

eripis innumerum populum de carcere mortis,
et sequitur liber, quo suus auctor adit.

inmaculata tuis plebs haec vegetetur in ulnis,
atque Deo purum pignus ad astra feras.

una corona tibi de te tribuatur ab alto,
altera de populo vernet adepta tuo.

Christe, salus rerum, bone conditor atque redemptor,
unica progenies ex deitate Patris.

aequalis, consors, socius, cum Patre coaevus,
quo sumpsit mundus principe principium.

qui genus humanum cernens mersisse profundo,
ut hominem eriperes, es quoque factus homo.
Amen.

LXXVIII (**170**)

OPUS peregisti tuum :
te, Christe, victorem necis
aeterna, quam reliqueras,
caelo reposcit gloria.

iam nube vectus fulgida
terras iacentes despicis :
educta longo carcere
regem sequuntur agmina.

mirante turba caelitum,
panduntur aeternae fores,
ovansque sublimem Patris
homo Deus scandis thronum.

illic patronus, pontifex,
pacis sequester, quem tua
semel profudit caritas,
offerre pergis sanguinem.

illinc adornas et foves
ecclesiam sponsus tuam,
cunctisque vitam dividis
infusa ceu mens artubus.

quo, Christe, praecedis caput,
huc integrum corpus vocas :
vestigiis tritam tuis
fac membra sectentur viam.

gloria tibi, Domine,
qui scandis super sidera,
cum Patre et sancto Spiritu
in sempiterna saecula. Amen.

LXXVIIII (176) C.

IESU, nostra redemptio,
amor et desiderium,
Deus creator omnium,
homo in fine temporum :

quae te vicit clementia,
ut ferres nostra crimina,
crudelem mortem patiens
ut nos a morte tolleres :

inferni claustra penetrans,
tuos captivos redimens,
victor triumpho nobili
ad dextram Patris residens.

ipsa te cogat pietas,
ut mala nostra superes
parcendo, et voti compotes
nos tuo vultu saties.

tu esto nostrum gaudium
qui es futurus praemium ;
sit nostra in te gloria
per cuncta semper saecula.

gloria tibi, Domine,
qui scandis super sidera,
cum Patre et sancto Spiritu
in sempiterna saecula. Amen.

LXXX (177)

SUPREME rector caelitum,
qui morte devicta potens
cruore signatam tuo
ad astra pandis semitam,

alto benignus e throno,
e Patris almi dextera,
quos hic relinquis orphanos
non intueri desinas.

nos, Christe, tot doloribus
quos parturisti respice,
quos obstetrice lancea
apertus effudit sinus.

parta tuis laboribus
iam tu potiris gloria :
nunc hora ; promissum Patris
nunc mitte nobis Spiritum.

qui Patris ad dextram sedes,
Iesu, tibi sit gloria
cum Patre cumque Spiritu
in sempiterna saecula. Amen.

LXXXI (178) V. et M.

IAM Christus astra ascenderat
regressus unde venerat,
promissa Patris munera
sanctum daturus Spiritum.

sollemnis urgebat dies,
quo mystico septemplici
orbis volutus septies
signat beata tempora :

cum hora cunctis tertia
repente mundus intonat,
orantibus apostolis
Deum venisse nuntiat.

de Patris ergo lumine
decorus ignis almus est,
quo fida Christi pectora
calore Verbi compleat.

dudum sacrata pectora
tua replesti gratia,
dimitte nunc peccamina
et da quieta tempora.

sit laus Patri cum Filio,
sancto simul Paraclito,
nobisque mittat Filius
charisma sancti Spiritus. Amen.

LXXXII (179) V.

BEATA nobis gaudia
anni reduxit orbita,
cum Spiritus Paraclitus
effulsit in discipulos.

ignis vibrante lumine
linguae figuram detulit,
verbis ut essent proflui
et caritate fervidi.

impleta gaudent viscera
afflata sancto Spiritu ;
voces diversas intonant,
fantur Dei magnalia.

ex omni gente cogniti
Graecis, Latinis, barbaris,
cunctisque admirantibus
linguis loquuntur omnium.

Iudaea tunc incredula,
vesana torvo spiritu,
ructare musti crapulam
alumnos Christi concrepat.

sed signis et virtutibus
occurrit et docet Petrus
falsa profari perfidos
Ioelis testimonio.

dudum sacrata pectora
tua replesti gratia,
dimitte nunc peccamina
et da quieta tempora.

sit laus Patri cum Filio,
sancto simul Paraclito,
nobisque mittat Filius
charisma sancti Spiritus. Amen.

LXXXIII (**180, 181**) T.

VENI, creator Spiritus,
mentes tuorum visita,
imple superna gratia
quae tu creasti pectora :

qui Paraclitus diceris,
donum Dei altissimi,
fons vivus, ignis, caritas,
et spiritalis unctio.

tu septiformis munere,
dextrae Dei tu digitus,
tu rite promisso Patris
sermone ditas guttura.

accende lumen sensibus,
infunde amorem cordibus
infirma nostri corporis
virtute firmans perpeti.

hostem repellas longius,
pacemque dones protinus;
ductore sic te praevio
vitemus omne noxium.

per te sciamus da Patrem,
noscamus atque Filium,
te utriusque Spiritum
credamus omni tempore.

sit laus Patri cum Filio,
sancto simul Paraclito,
nobisque mittat Filius
charisma sancti Spiritus. Amen.

LXXXIIII (182) Pr.

SALVE, festa dies, toto venerabilis aevo,
qua nova de caelo gratia fulsit humo.

altius ignivomum solem caeli orbita ducit,
qui vagus oceanas exit et intrat aquas.

armatus radiis, elementa liquentia lustrans,
  adhuc nocte brevi tendit in orbe diem.

splendida sincerum producunt aethera vultum,
  laetitiamque suam sidera clara probant.

rus gaudens vario fundit munuscula fetu,
  cum bene vernales reddidit annus opes.

mollia purpureum pingunt violaria campum,
  prata virent herbis, et micat herba comis.

paulatim subeunt stellantia lumina florum,
  arridentque oculis gramina tincta suis. Amen.

LXXXV (183)

ALMUM flamen, vita mundi,
  cuius virtus vegetat
quidquid aequoris profundi,
soli quidquid et rotundi
  spatium progerminat;
motor omnis creaturae,
vita vitae sub tellure,
  motus atque requies,
  Spiritus, tu unus es.

veni, Spiritus creator,
  dono largus septuplo;
veni terrae renovator,
pacis atque boni sator,
  locuples solacio.
o tu mentibus beatis
gaudium, sed pravitatis
  inventori barathro
  maxima confusio.

super aquas ferebatur
   divus ille Spiritus,
quando mundus condebatur,
totus et animabatur
   variis virtutibus;
tum, quem primum animavit,
mox collapsum recreavit,
   largiter vivificam
   nobis fundens gratiam.

orbi tubas excitasti
   sacri evangelii,
per quas mundum suscitasti,
mortuumque praeparasti
   ad fulgorem praemii :
nostrum roborasti pectus,
homo quo ceu scuto tectus
   spiritu letiferum
   debellaret spiritum.

huïc ergo inclinemur
   salva gens Spiritui ;
huius dona demiremur,
sanctitatem veneremur
   in amore cernui.
geminemus, 'Sanctus, sanctus';
effundamus corde planctus
   coram patre gratiae
   memori miseriae.

ad te gratiarum fontem
   nostra currit anima :
firma spiritum insontem,
animumque lava sontem
   exundante gratia.

praesulum inspira mentes,
mundi dirige potentes ;
  sacra sit communitas,
  mera pax et unitas.

omnium repurga pectus
  a fermento saeculi ;
cedat Satan carne tectus ;
operosae quisque rectus
  corde subsit fidei,
et primaevo sub ardore
mutuoque sub amore
  totus grex fidelium
  colligatur ovium. Amen.

LXXXVI (184)

VENI, sancte Spiritus,
  et emitte caelitus
  lucis tuae radium :
veni, pater pauperum ;
veni, dator munerum ;
  veni, lumen cordium,

consolator optime,
dulcis hospes animae,
  dulce refrigerium,
in labore requies,
in aestu temperies,
  in fletu solacium.

o lux beatissima,
reple cordis intima
  tuorum fidelium :
sine tuo numine
nihil est in homine,
  nihil est innoxium.

lava quod est sordidum,
riga quod est aridum,
  rege quod est devium,
fove quod est languidum,
flecte quod est rigidum,
  sana quod est saucium.

da tuis fidelibus
in te confidentibus
  sacrum septenarium ;
da virtutis meritum,
da salutis exitum,
  da perenne gaudium. Amen.

LXXXVII (188) **V. et M.**

ADESTO, sancta Trinitas,
  par splendor, una deitas,
qui extas rerum omnium
sine fine principium.

te caelorum militia
laudat, adorat, praedicat,
triplexque mundi machina
benedicit per saecula.

adsumus et nos cernui
te adorantes famuli :
vota precesque supplicum
hymnis iunge caelestium.

unum te lumen credimus,
quod et ter idem colimus :
Alpha et O quem dicimus,
te laudat omnis spiritus.

laus Patri sit ingenito,
laus eius Unigenito,
laus sit sancto Spiritui,
trino Deo et simplici. Amen.

LXXXVIII (189) L.

O PATER sancte mitis atque pie,
o Iesu Christe Fili venerande,
paracliteque Spiritus o alme,
Deus aeterne,

trinitas sancta unitasque firma,
deitas vera, bonitas immensa,
lux angelorum, salus orphanorum,
spesque cunctorum,

serviunt tibi cuncta quae creasti ;
te tuae cunctae laudant creaturae ;
nos quoque tibi psallimus devoti ;
tu nos exaudi.

gloria tibi, omnipotens Deus,
trinus et unus, magnus et excelsus ;
te decet hymnus, honor, laus, et decus
nunc et in aevum. Amen.

LXXXVIIII (190)

AVE, colenda trinitas ;
ave, perennis unitas,
Pater Deus, Nate Deus,
et Deus alme Spiritus.

haec tibi nunc gratuita
depromimus praeconia,
quae tibi sint gratissima
et nobis saluberrima.

te trinum semper laudamus
atque unum adoramus :
tuae dulcis clementiae
sentiamus munimina.

o Trinitas, o Unitas,
adesto supplicantibus
et angelorum laudibus
admitte quod persolvimus. Amen.

LXXXX (191) V. et L.

⌈EXULTET caelum laudibus,
resultet terra gaudiis;
apostolorum gloriam
sacra canunt sollemnia.

vos saecli iusti iudices
et vera mundi lumina,
votis precamur cordium,
audite preces supplicum.

qui caelum verbo clauditis
serasque eius solvitis,
nos a peccatis omnibus
solvite iussu, quaesumus

quorum praecepto subditur
salus et languor omnium,
sanate aegros moribus,
nos reddentes virtutibus.

ut, cum iudex advenerit
Christus in fine saeculi,
nos sempiterni gaudii
faciat esse compotes.

Deo Patri sit gloria
eiusque soli Filio
cum Spiritu Paraclito
et nunc et in perpetuum.⌋ Amen.

LXXXXI (192) *M.*

AETERNA Christi munera,
apostolorum gloriam,
laudes ferentes debitas
laetis canamus mentibus,

ecclesiarum principes,
belli triumphales duces,
caelestis aulae milites,
et vera mundi lumina.

devota sanctorum fides,
invicta spes credentium,
perfecta Christi caritas,
mundi triumphat principem.

in his paterna gloria,
in his voluntas Spiritus,
exultat in his Filius,
caelum repletur gaudio.

te nunc, redemptor, quaesumus
ut ipsorum consortio
iungas precantes servulos
in sempiterna saecula. Amen.

LXXXXII (193)

SUPREME quales arbiter
tibi ministros eligis,
tuas opes qui vilibus
vasis amas committere!

haec nempe plena lumine
tu vasa frangi praecipis;
lux inde magna rumpitur,
ceu nube scissa fulgura.

totum per orbem nuntii
nubes velut citi volant :
verbo graves, Verbo Deo,
tonant, coruscant, perpluunt.

Christum sonant : versae ruunt
arces superbae daemonum ;
circum tubis clangentibus
sic versa quondam moenia.

fac, Christe, caelestes tubae
somno graves nos excitent :
accensa de te lumina
pellant tenebras mentium.

uni sit et trino Deo
suprema laus, summum decus,
de nocte qui nos ad suae
lumen vocavit gloriae. Amen.

LXXXIII (**194**)

STOLA regni laureatus,
summi regis est senatus
coetus apostolicus ;
cuï psallant mens et ora,
mentis mundae vox sonora ;
hymnus est angelicus.

hic est ordo mundi decus,
omnis carnis iudex aequus,
novae petra gratiae,
ab aeterno praeelectus,
cuius floret architectus
ad culmen ecclesiae.

hi praeclari Nazaraei
bella crucis et tropaei
mundo narrant gloriam :
sic dispensant verbum Dei ;
quod nox nocti, lux diei,
indicant scientiam.

onus leve, iugum mite
proponentes, semen vitae
mundi spargunt terminis :
germen promit terra culta ;
feneratur fruge multa
fides Dei hominis.

hi sunt templi fundamentum,
vivus lapis, et caementum
ligans aedificium ;
hi sunt portae civitatis,
hi compago unitatis
Israel et gentium.

horum nutu cedat error,
crescat fides, absit terror
finalis sententiae,
ut soluti a delictis
sociemur benedictis
ad tribunal gloriae. Amen.

LXXXXIIII (195)

CAELESTIS aulae principes,
sacri duces exercitus,
bis sena mundi lumina,
olim futuri iudices,

mersis gravi caligine
per vos dies renascitur ;
quos vanus error luserat,
illustrat alma veritas.

non vi, nec armis militum,
fandi nec ullis artibus,
verbo sed irrisae crucis
Christo rebelles subditis.

quibus gemebat subditus,
rumpuntur orbis vincula;
iam gaudet excusso iugo
liber Dei sub legibus.

vulgata terris omnibus
per vos Dei mysteria;
sic vestra terris omnibus
praeclara facta personent.

uni sit et trino Deo
suprema laus, summum decus,
de nocte qui nos ad suae
lumen vocavit gloriae. Amen.

LXXXXV (196)

CHRISTI perennes nuntii,
retecta qui caelestibus
scriptis Dei mysteria
totum per orbem spargitis,

olim sub umbris condita
vates sacri quae viderant,
umbris procul cedentibus
vidistis haec pleno die.

humana quae tulit Deus,
divina quae gessit homo,
seris legenda posteris
dictante scripsistis Deo.

loco remotos, tempore,
vos rexit idem Spiritus ;
vestris adhuc in paginis
nobis loqui non desinit.

uni sit et trino Deo
suprema laus, summum decus,
de nocte qui nos ad suae
lumen vocavit gloriae. Amen.

LXXXXVI (197)

PLAUSU chorus laetabundo
hos attollat, per quos mundo
sonant evangelia ;
voce quorum salus fluxit,
nox praecessit, et illuxit
sol illustrans omnia.

curam agens sui gregis
pastor bonus, auctor legis,
quattuor instituit,
quadri orbis ad medellam
formam iuris et cautelam
per quos scribi voluit.

circa thema generale
habet quisque speciale
sibi privilegium ;
quos designat in propheta
forma pictus in discreta
vultus animalium.

his quadrigis deportatur
mundo Deus ; sublimatur
istis arca vectibus ;
paradisi haec fluenta
nova fluunt sacramenta,
quae irrorant gentibus.

non est domus ruitura
hac subnixa quadratura;
haec est domus Domini:
glorietur in hac domo,
qua beatus vivit homo,
Deus iunctus homini. Amen.

LXXXVII (**198**)

IUCUNDARE, plebs fidelis,
cuius Pater est in caelis,
recolens Ezechielis
prophetae praeconia.
est Iohannes testis ipsi,
scribens in Apocalypsi,
'Vere vidi, vere scripsi
vera testimonia.'

paradisus his rigatur,
viret, floret, fecundatur;
his abundat, his rigatur
quattuor fluminibus.
fons est Christus, hi sunt rivi;
fons est altus, hi proclivi,
ut saporem fontis vivi
ministrent fidelibus.

horum rivo debriatis
sitis crescat caritatis,
ut de fonte deitatis
satiemur plenius:
horum trahat nos doctrina
vitiorum de sentina,
sicque ducat ad divina
ab imo superius. Amen.

LXXXVIII (200) V. et L.

DEUS, tuorum militum
sors, et corona, praemium,
laudes canentes martyris
absolve nexu criminis.

hic nempe, mundi gaudia
et blandimenta noxia
caduca rite deputans,
pervenit ad caelestia.

poenas cucurrit fortiter
et sustulit viriliter;
pro te effundens sanguinem,
aeterna dona possidet.

ob hoc precatu supplici
te poscimus, piissime,
in hoc triumpho martyris
dimitte noxam servulis.

laus et perennis gloria
Deo Patri cum Filio
sancto simul Paraclito
in saeculorum saecula. Amen.

LXXXVIIII (201) V. et M.

SANCTORUM meritis inclyta gaudia
pangamus, socii, gestaque fortia:
nam gliscit animus promere cantibus
victorum genus optimum.

hi sunt quos retinens mundus inhorruit
ipsum nam sterili flore peraridum
sprevere penitus, teque secuti sunt,
rex Christe bone, caelitus.

quae vox, quae poterit lingua retexere
quae tu martyribus munera praeparas?
rubri nam fluido sanguine laureis
ditantur bene fulgidis.

te, summa deitas unaque, poscimus
ut culpas abluas, noxia subtrahas,
des pacem famulis; nos quoque gloriam
per cuncta tibi saecula. Amen.

C (202) *M.*

AETERNA Christi munera
et martyrum victorias,
laudes ferentes debitas,
laetis canamus mentibus.

terrore victo saeculi,
poenisque spretis corporis,
mortis sacrae conpendio
lucem beatam possident.

traduntur igni martyres
et bestiarum dentibus,
sed permanent inmobiles
vitae perennis gratia.

te nunc, redemptor, quaesumus
ut martyrum consortio
iungas precantes servulos
in sempiterna saecula. Amen.

CI (203)

O BEATA beatorum martyrum sollemnia!
o devote recolenda victorum certamina!
digni dignis fulgent signis, et florent virtutibus;
illos semper condecenter veneremur laudibus.

fide, voto, corde toto, adhaeserunt Domino,
et invicti sunt addicti atroci martyrio.

carcerati, trucidati, tormentorum genera
igne laesi, ferro caesi, pertulerunt plurima.

dum sic torti cedunt morti carnis per interitum,
ut electi sunt adepti beatorum praemium.

per contemptum mundanorum et per bella fortia
meruerunt angelorum victores consortia.

⌜ergo facti cohaeredes Christo in caelestibus
apud ipsum vota nostra promovete vocibus,

ut post finem huius vitae et post transitoria
in perenni mereamur exultare gloria.⌟ Amen.

CII (**205**)

EX quo salus mortalium
fluxit sacer Dei cruor,
homo redemptus aemulum
Deo litavit sanguinem.

non iam crucis Christi pudet:
quin surgit ingens gloria
Deum fateri mortuum,
pro mortuo mori Deo.

hoc iste plenus spiritu
ridet minas, ridet neces,
tuaque fretus dextera
tibi, redemptor, militat.

parata spectans praemia,
securus ad poenas volat;
sic pugnat, ut speret mori
et morte mortem vincere.

da, Christe, tanti militis
aequare facta fortia ;
da sustinere pro tuo
quodcumque durum nomine.

aeterne tu Verbi Pater,
aeterne Fili par Patri,
et par utrique Spiritus,
tibi, Deus, sit gloria. Amen.

CIII (**207**)

NON parta solo sanguine
ornat beatos purpura ;
sunt incruenta quae suos
habent triumphos praelia.

non iste flammas, non cruces,
non sensit uncos pectines ;
crudelis et durus sibi
se morte lenta conficit.

si lictor illi defuit,
si vincla, fustes, ungulae,
parata pro Christo mori
hoc supplet omne caritas.

da, Christe, sic nos vivere,
discamus ut semper mori ;
da post brevis vitae dies
vitae perennis gaudia.

fons sanctitatis o Deus,
aeterna iustorum quies,
honor tibi, laus, gloria
nunc et per omne saeculum. Amen.

CIIII (**209**) V. et L.

IESU redemptor omnium,
perpes corona praesulum,
in hac die clementius
nostris faveto vocibus,

tui sacri qua nominis
confessor almus claruit ;
cuius celebrat annua
devota plebs sollemnia.

qui rite mundi gaudia
huius caduca respuens
cum angelis caelestibus
laetus potitur praemiis.

huius, benigne, annue
nobis sequi vestigia ;
huius precatu servulis
dimitte noxam criminis.

sit, Christe rex piissime,
tibi Patrique gloria
cum Spiritu Paraclito
in sempiterna saecula. Amen.

CV (**212**) V et L.

IESU corona virginum,
quem mater illa concipit,
quae sola virgo parturit,
haec vota clemens accipe,

qui pascis inter lilia
saeptus choreis virginum,
sponsus decorus gloria,
sponsisque reddens praemia.

quocumque pergis, virgines
sequuntur, atque laudibus
post te canentes cursitant,
hymnosque dulces personant.

te deprecamur, largius
nostris adauge mentibus
nescire prorsus omnia
corruptionis vulnera.

Deo Patri sit gloria
eiusque soli Filio
sancto simul cum Spiritu
nunc et per omne saeculum. Amen.

CVI (**222**) **M.**

QUEM terra, pontus, aethera,
colunt, adorant, praedicant,
trinam regentem machinam,
claustrum Mariae baiulat.

cui luna, sol, et omnia
deserviunt per tempora,
perfusa caeli gratia
gestant puellae viscera.

beata mater munere,
cuius supernus artifex,
mundum pugillo continens,
ventris sub arca clausus est.

beata caeli nuntio,
fecunda sancto Spiritu,
desideratus gentibus
cuius per alvum fusus est.

o gloriosa femina,
excelsa supra sidera,
qui te creavit provide,
lactas sacrato ubere.

quod Eva tristis abstulit,
tu reddis almo germine ;
intrent ut astra flebiles,
caeli fenestra facta es.

tu regis alti ianua,
et porta lucis fulgida ;
vitam datam per virginem,
gentes redemptae, plaudite.

gloria tibi, Domine,
qui natus es de virgine,
cum Patre et sancto Spiritu
in sempiterna saecula. Amen.

CVII (**227**)

QUAE gloriosum tanta caelis evocat
te, Christe, causa ? tune rursum visere
mundum redemptor, tune iudex saeculi,
novumne prodis ultor hostem perdere ?

heu quam cruentus persecutor, quam ferox
insurgit ! horret ac fugit grex qua premit.
humana tanto nulla par hosti manus ;
te, Christe, sparsae vindicem poscunt oves.

hunc ergo voce victor una subicis ;
totum sed uno subdis in Saulo tibi
vincisque mundum : sternis, ut mox erigas
agnisque praedam dividat lupus tuis.

sit Trinitati sempiterna gloria,
honor, potestas, atque iubilatio
in unitate, quae gubernans omnia
per cuncta regnat saeculorum saecula. Amen.

CVIII (229)

TEMPLI sacratas pande, Sion, fores :
Christus sacerdos intrat et hostia ;
cedant inanes veritati,
quae se animis aperit, figurae.

non immolandi iam pecudum greges,
fumabit ater non cruor amplius ;
en ipse placando parenti,
ipse suis Deus adstat aris.

virgo latentis conscia numinis,
demissa vultus, quem peperit Deum,
hunc gestit ulnis, pauperumque
munera fert teneras volucres.

hic omnis aetas, omnis et adstitit
sexus propinquo numine plenior ;
omnes anhelantis tot annos
nunc fidei pretium reportant.

testes tot inter magnanimo, Deus,
tibi litabat firma silentio
Verbi silentis muta mater ;
cuncta animo penitus premebat.

sit summa Patri summaque Filio
sanctoque compar gloria Flamini :
sanctae litemus Trinitati
perpetuo pia corda cultu. Amen.

CVIIII (234)

NUNC suis tandem novus e latebris
prodit Elias, populisque Christum
clamat, exprobrans sua viperinae
crimina proli.

en Deus iudex, Deus en propinquat,
ventilans fruges: superis recondet
triticum caelis paleasque diros
tradet in ignes.

huius adventu rigidum superbi
deprimant montes caput, erigantur
vallium passim cava, corrigantur
prava viarum.

sancte praecursor, date praeco lucis,
excitet somno tua vox inertes,
ut graves olim fugiamus Agni
vindicis iras.

summa laus Patri genitoque Verbo,
aequus amborum sit honos Amori,
qui sacrum Christi pugilem potenter
ungit et armat. Amen.

CX (235)

PRAECURSOR altus luminis
et praeco Verbi nascitur:
laetare, cor fidelium,
lucemque gaudens accipe.

sublime cui vocabulum
'Iohannes' ipse Gabriel
imponit, et clarissima
ipsius acta praecinit:

necdumque natus iam dedit
de luce testimonium,
quod natus admirabili
complevit ipse gloria.

quo feminarum in filiis
propheta maior nullus est :
quin ipse miris actibus
plus quam propheta claruit.

quid sermo noster amplius
huius canat praeconia ?
de quo Patris vox Filio
olim locuta praecinit :

'En mitto,' dixit, 'angelum,
tuam paret qui semitam,
vultumque praecurrat tuum,
solem rubens ut lucifer.' Amen.

CXI (**239**) **V. et M.**

TIBI, Christe, splendor Patris, vita, virtus
cordium,
in conspectu angelorum votis, voce psallimus ;
alternantes concrepando melos damus vocibus.

collaudemus venerantes omnes caeli milites,
sed praecipue primatem caelestis exercitus,
Michaelem, in virtute conterentem zabulon.

quo custode procul pelle, rex Christe piissime,
omne nefas inimici mundo corde et corpore ;
paradiso redde tuo nos sola clementia.

gloriam Patri melodis personemus vocibus,
gloriam Christo canamus, gloriam Paraclito,
qui Deus trinus et unus extat ante saecula.
Amen

CXII (240)

CHRISTE, qui sedes Olympo par Deo Patri Deus,
quem tremiscunt intuendo puriores spiritus,
da choris iunctos supernis ore puro psallere.

quotquot adstant, sempiternum qui tribunal ambiunt,
hi tot ardent imperantis ferre iussa praepetes,
ire terris et redire sacra per commercia.

inter omnes fulguranti ense victor emicat,
qui draconis insolentem contudit ferociam,
de polo trusit rebellem in profunda tartara.

dum superbum sternis hostem intonas, 'Quis ut Deus?'
obstinata turba praeceps clade communi ruit:
te triumphantem coronat, qui tibi dat vincere.

te tremendo poscat aeger mortis in luctamine,
advolantis efficacem sentiet praesentiam:
corporis vinclis solutum mox ad astra transferes.

sit suprema laus Parenti qui creavit omnia,
Filioque qui redemit morte nos volens sua;
par et illi cuius almo confovemur halitu. Amen.

CXIII (244)

CAELESTIS o Ierusalem,
mansura semper civitas,
o ter beati quos tuis
cives recondis moenibus.

tu pacis aeternae domus,
dilecta sanctorum quies,
sedes Deo fruentium,
regis superni curia.

hic in throno sedens Deus
cunctos beat praesentia :
hic sol perennis splendido
affulget Agnus lumine.

hac sede quo datur frui,
nil dulce turbat otium ;
hic unus est sanctis labor
Dei vacare laudibus.

huc certa nos spes evocat ;
huc vota tendant omnia,
nec terreat brevis labor,
aeterna quos merces manet.

perennis o sol patriae
Iesu, tibi sit gloria
cum Patre cumque Spiritu
in sempiterna saecula. Amen.

CXIIII (245)

SPONSA Christi, quae per orbem militas ecclesia,
prome cantus et sacratos dic triumphos caelitum.

haec dies cunctis dicata, mixta caeli gaudiis,
laeta currat et sollemni personet melodia.

laureatum ducit agmen iuncta mater Filio,
sola quae partu pudorem virgo numquam perdidit.

mox sequuntur angelorum administri spiritus,
siderumque conditori mille laudes concinunt.

his Iohannes, vate maior, praeco Christi praevius,
patriarchae cum prophetis accinunt dulci melo.

principes sacri senatus, orbis almi iudices,
sedibus celsis sublimes facta pendunt omnium.

prodigi vitae, cruore purpurati martyres,
auspicati morte vitam, pace gaudent perpeti.

turba sacra confitentum, cum levitis praesules,
saeculi luxu reiecto perfruuntur gloria.

pompa nuptialis Agno consecratae virgines
liliis rosisque sponsum aemulantur prosequi.

omnibus sors haec beata gloriam Deo dare
et potentem confiteri terque sanctum dicere.

[sic] Deo cum sanctitate serviamus subditi,
gloriae posthac futuri, quam tenetis, compotes.
Amen

CXV (**246**)

QUISQUIS valet numerare
beatorum numerum,
horum poterit pensare
sempiternum gaudium,
quod meruerunt intrare
mundi post exilium.

de valle plorationis
erepti feliciter,
annos iam afflictionis
cogitantes dulciter,
omnis consummationis
finem vident iugiter.

nunc per speculum videmus
umbris et aenigmate ;
tunc ut noti cognoscemus
pure, nude, lucide ;
clarum visum nam figemus
en in lumen gloriae.

personarum trinitatem
clare speculabimur,
essentiae unitatem
nude contemplabimur,
unitatem trinitatem
in uno mirabimur.

iam, homo, noli timere
quaecumque gravamina :
per haec vales obtinere
tam immensa gaudia
lucisque lucem videre
per aeterna saecula.

vitae dator, summe Parens,
tibi benedictio ;
sit laus, decus semper clarens
semper tuo Filio ;
sit et honor fine carens
inclyto Paraclito. Amen.

CXVI (248)

SUMMI Parentis unice,
vultu pio nos respice,
vocans ad arcem gloriae
cor Magdalenae paenitens.

amissa drachma regio
recondita est aerario,
et gemma deterso luto
nitore vincit sidera.

Iesu, medella vulnerum,
spes una paenitentium,
per Magdalenae lacrimas
peccata nostra diluas.

uni Deo sit gloria
pro multiformi gratia,
peccantium qui crimina
remittit et dat praemia. Amen.

CXVII (**249**) V.

CAELESTIS formam gloriae,
quam spes quaerit ecclesiae,
in monte Christus indicat,
quo supra solem emicat.

res memoranda saeculis,
hic cum tribus discipulis
cum Moyse et Helia
grata promit eloquia.

assistunt testes gratiae,
legis, atque prophetiae ;
de nube testimonium
sonat Patris ad Filium.

glorificata facie
Christus declarat hodie,
quis sit honor credentium
Deo pie fruentium.

visionis mysterium
corda levat fidelium,
unde sollemni gaudio
clamat nostra devotio.

Pater cum Unigenito
et Spiritu Paraclito
unus nobis hanc gloriam
largire per praesentiam. Amen.

CXVIII (**252**) M.

IESU dulcis memoria,
dans vera cordis gaudia ;
sed super mel et omnia
dulcis eius praesentia.

nil canitur suävius,
auditur nil iucundius,
nil cogitatur dulcius,
quam Iesus Dei filius.

Iesu, spes paenitentibus,
quam pius es petentibus,
quam bonus te quaerentibus !
sed quid invenientibus ?

nec lingua potest dicere,
nec littera exprimere ;
expertus novit credere,
quid sit Iesum diligere.

Iesu, rex admirabilis
et triumphator nobilis,
dulcedo ineffabilis,
totus desiderabilis,

mane nobiscum, Domine,
nos tuo replens lumine ;
pulsa noctis caligine,
tua pasce dulcedine. Amen.

DEDICATIONIS

CXVIII (253) V., M. et L.

URBS beata Ierusalem, dicta pacis visio,
quae construitur in caelis, vivis ex lapidibus,
et angelis coornata ut sponsata comite,

nova veniens e caelo, nuptiali thalamo
praeparata, ut sponsata copuletur Domino ;
plateae et muri eius ex auro purissimo.

portae nitent margaritis, adytis patentibus,
et virtute meritorum illuc introducitur
omnis qui pro Christi nomine hic in mundo premitur.

tunsionibus, pressuris expoliti lapides,
suisque aptantur locis per manum artificis ;
disponuntur permansuri sacris aedificiis.

PARS ALTERA.

Angularis fundamentum lapis Christus missus est,
qui conpage parietis in utroque nectitur,
quem Sion sancta suscepit, in quo credens permanet.

omnis illa Deo sacra et dilecta civitas,
plena modulis in laude et canore iubilo,
trinum Deum unicumque cum favore praedicat.

hoc in templo, summe Deus, exoratus adveni,
et clementi bonitate precum vota suscipe ;
largam benedictionem hic infunde iugiter.

hic promereantur omnes petita adquirere,
et adepta possidere cum sanctis perenniter,
paradisum introire, translati in requiem.

gloria et honor Deo usquequo altissimo,
una Patri Filioque inclito Paraclito,
cuï laus est et potestas per aeterna saecula. Amen.

CXX (255) Pr.

SALVE, festa dies, toto venerabilis aevo,
qua sponso sponsa iungitur ecclesia.

haec est aula Dei, pacis locus et requiei ;
hic ineunt inopes ad Salomonis opes.

filius ille David, qui nos sibi consociavit,
hac in matre domo et Deus est et homo.

copula caelestis vos spiritualiter estis,
si servando fidem esse velitis idem.

urbs nova Ierusalem descendens spiritualem
attulit ornatum lucis ab arce datum.

hinc fidei fructum sacro baptismate ductum
dat rex iustitiae caelitus ecclesiae.

firma David turris ; huc si pede perpete curris,
invenies in ea pignora siderea.

haec est arca Dei credentibus auxiliatrix
quae vehit ad portum quos vehit unda maris.

haec est scala Jacob, per quam conscendere caelum
credenti populo dat bona vita polum. Amen.

CXXI (256)

PATRIS aeterni suboles coaeva,
dum tuae sacros pia plebs honores
aedis instaurat, Deus alme, nostris
annue votis.

hic sacri fontis latices ab ortu
inditi purgant maculam reatus ;
hic et infusum nova membra Christo
chrisma coaptat.

hic sua pascit populos fideles
carne, qui mundi scelus omne tollit,
Agnus, et fusi pretium cruoris
ipse propinat.

hic salus aegris animis paratur ;
hic reos iudex facilis relaxat,
atque letalem rediviva pellit
gratia culpam.

cuius in caelo thronus est perennis,
incolit parvam Deus altus aedem ;
hic adorator sibi quisque sedem
praeparat astris.

nullus hanc turbo quatit, irruentis
nulla vis nimbi rapidive fluctus ;
cedit hanc contra furor inferorum
irritus omnis.

laus Deo, virtus, honor, et potestas
una sit Patri parilique Proli ;
par sit amborum tibi nexus omni
Spiritus aevo. Amen.

CXXII (258)

O BEATA Ierusalem, praedicanda civitas,
quae tuis laeta triumphas in supernis civibus,
innovata regis amplo claritatis stigmate,

fulgidum gestas honorem, plena mater filiis,
pacis almae gloriosis laetabunda finibus,
rite restaurata clara sanctitatis lampade.

hic tui templi refulget sanctior memoria
iure restaurationis lucido fundamine,
cum decoris pollet aucto dignitatis sidere.

te precamur hic adesse, conditor sanctissime,
hicque promptus consecrandis sedibus illabere,
atque consecrator ipse hic adesto iugiter.

iam tui templi honoris effice nos servulos;
non caro, non corda nostra militent discrimini,
sed tuo sacro dicati serviamus nomini.

regis hoc altare summi sit coruscum lumine,
sit honore mancipatum, sit repletum gaudio,
sit beatum, sit serenum, sit placens regi Deo.

hic tibi nostrorum alma cordium altaria
consecra, superne iudex, innovans nos gratia,
sedibus illapsa donans de supernis munera,

ut tibi per omne tempus, Trinitas sanctissima,
sit honor, immensa virtus, et perennis gloria,
qui Deus in trinitate permanes in saecula. Amen.

CXXIII (**260**) **M.**

PANGE, lingua, gloriosi
corporis mysterium
sanguinisque pretiosi,
quem in mundi pretium
fructus ventris generosi
rex effudit gentium.

nobis datus, nobis natus
ex intacta virgine,
et in mundo conversatus,
sparso verbi semine,
sui moras incolatus
miro clausit ordine.

in supremae nocte cenae
  recumbens cum fratribus,
observata lege plene
  cibis in legalibus,
cibum turbae duodenae
  se dat suis manibus.

Verbum caro panem verum
  verbo carnem efficit,
fitque sanguis Christi merum,
  etsi sensus deficit;
ad firmandum cor sincerum
  sola fides sufficit.

tantum ergo sacramentum
  veneremur cernui,
et antiquum documentum
  novo cedat ritui:
praestet fides supplementum
  sensuum defectui.

Genitori Genitoque
  laus et iubilatio,
salus, honor, virtus quoque
  sit et benedictio;
procedenti ab utroque
  compar sit laudatio. Amen.

CXXIIII (261) **V. et L.**

VERBUM supernum prodiens,
  nec Patris linquens dexteram,
ad opus suum exiens
venit ad vitae vesperam.

in mortem a discipulo
suis tradendus aemulis,
prius in vitae ferculo
se tradidit discipulis.

quibus sub bina specie
carnem dedit et sanguinem,
ut duplicis substantiae
totum cibaret hominem.

se nascens dedit socium,
convescens in edulium
se moriens in pretium,
se regnans dat in praemium.

o salutaris hostia,
quae caeli pandis ostium,
bella premunt hostilia,
da robur, fer auxilium.

uni trinoque Domino
sit sempiterna gloria,
qui vitam sine termino
nobis donet in patria. Amen

CXXV (**266**)

ADORO te devote, latens deitas,
quae sub his figuris vere latitas;
tibi se cor meum totum subicit,
quia te contemplans totum deficit.

o memoriale mortis Domini,
panis verus vitam praestans homini,
praesta meae menti de te vivere
et te illi semper dulce sapere.

pie pellicane Iesu Domine,
me immundum munda tuo sanguine ;
fac me tibi semper magis credere,
in te spem habere, te diligere.

Iesu, quem velatum nunc aspicio,
oro, fiat illud quod tam sitio,
ut te revelata cernens facie
visu sim beatus tuae gloriae. Amen.

CXXVI (**269**)

SANCTI, venite, Christi corpus sumite,
sanctum bibentes, quo redempti sanguine.

salvati Christi corpore et sanguine,
a quo refecti laudes dicamus Deo.

dator salutis, Christus, Filius Dei,
mundum salvavit per crucem et sanguinem.

pro universis inmolatus Dominus
ipse sacerdos exstitit et hostia.

lege praeceptum inmolari hostias,
qua adumbrantur divina mysteria.

lucis indultor, et salvator omnium,
praeclaram sanctis largitus est gratiam.

accedant omnes pura mente creduli,
sumant aeternam salutis custodiam.

sanctorum custos, rector quoque, Dominus,
vitae perennis, largitur credentibus.

caelestem panem dat esurientibus,
de fonte vivo praebet sitientibus.

Alpha et Omega, ipse Christus Dominus,
venit venturus iudicare homines. Amen.

CXXVII (273)

BONE pastor, panis vere,
Iesu, nostri miserere ;
tu nos pasce, nos tuere ;
tu nos bona fac videre
in terra viventium.
tu qui cuncta scis et vales,
qui nos pascis hic mortales,
tu nos ibi commensales,
cohaeredes, et sodales
fac sanctorum civium. Amen.

CXXVIII (274)

O ESCA viatorum,
o panis angelorum,
o manna caelitum,
esurientes ciba ;
dulcedine non priva
cor te quaerentium.

o lympha, fons amoris,
qui puro salvatoris
e corde profluis,
te sitientes pota ;
haec sola nostra vota ;
his una sufficis.

o Iesu, tuum vultum,
quem colimus occultum
sub panis specie,
fac ut remoto velo
aperta nos in caelo
cernamus acie. Amen.

CXXVIIII (**302**)

DIES irae, dies illa,
solvet saeclum in favilla
teste David cum Sibylla.

quantus tremor est futurus,
quando iudex est venturus,
cuncta stricte discussurus !

tuba mirum spargens sonum
per sepulcra regionum
coget omnes ante thronum.

mors stupebit et natura,
cum resurget creatura
iudicanti responsura.

liber scriptus proferetur,
in quo totum continetur,
unde mundus iudicetur.

iudex ergo cum sedebit,
quidquid latet, apparebit ;
nil inultum remanebit.

quid sum miser tunc dicturus,
quem patronum rogaturus,
cum vix iustus sit securus ?

rex tremendae maiestatis,
qui salvandos salvas gratis,
salva me, fons pietatis.

recordare, Iesu pie,
quod sum causa tuae viae ;
ne me perdas illa die.

quaerens me sedisti lassus,
redemisti crucem passus;
tantus labor non sit cassus.

iuste iudex ultionis,
donum fac remissionis
ante diem rationis.

ingemisco tamquam reus,
culpa rubet vultus meus;
supplicanti parce, Deus.

qui Mariam absolvisti
et latronem exaudisti,
mihi quoque spem dedisti.

preces meae non sunt dignae;
sed tu bonus fac benigne
ne perenni cremer igne.

inter oves locum praesta,
et ab haedis me sequestra,
statuens in parte dextra.

confutatis maledictis,
flammis acribus addictis,
voca me cum benedictis.

oro supplex et acclinis:
cor contritum quasi cinis;
gere curam mei finis.

lacrimosa dies illa,
qua resurget ex favilla
iudicandus homo reus.
huïc ergo parce, Deus.

pie Iesu Domine,
dona eis requiem. Amen.

CXXX (328)

CANTEMUS cuncti melodum nunc 'Alleluia.'

in laudibus aeterni regis
  haec plebs resultet 'Alleluia.'
hoc denique caelestes chori
  cantant in altum 'Alleluia.'

hoc beatorum per prata paradisiaca
  psallat concentus 'Alleluia';
quin et astrorum micantia luminaria
  iubilant altum 'Alleluia.'

nubium cursus, ventorum volatus,
  fulgurum coruscatio,
  et tonitruum sonitus;
    dulce consonent simul 'Alleluia';

fluctus et undae, imber et procellae,
  tempestas et serenitas,
  cauma, gelu, nix, pruinae,
    saltus, nemora, pangant 'Alleluia.'

hinc variae volucres creatorem
  laudibus concinite cum 'Alleluia';
ast illinc respondeant voces altae
  diversarum bestiarum 'Alleluia.'

istinc montium celsi vertices sonent 'Alleluia';
illinc vallium profunditates saltent 'Alleluia.'

tu quoque maris iubilans abysse, dic 'Alleluia';
nec non terrarum molis immensitates, 'Alleluia.'

nunc omne genus humanum laudans exultet
  'Alleluia,'
et creatori grates frequentans consonet 'Alleluia.'

hoc denique nomen audire iugiter delectatur,
 'Alleluia,'
hoc etiam carmen caeleste comprobat ipse Christus,
 'Alleluia.'

nunc vos, o socii, cantàte laetantes 'Alleluia,'
et vos, pueruli, respondete semper 'Alleluia.'

nunc omnes canite simul 'Alleluia' Domino, 'Alleluia'
 Christo, Pneumatique 'Alleluia':
laus Trinitati aeternae, Alleluia, Alleluia, Alleluia,
 Alleluia, Alleluia, Alleluia. Amen.

CXXXI (**336**)

O AMOR quam ecstaticus,
 quam effluens, quam nimius,
qui Deum Dei filium
unum fecit mortalium!

non invisit nos angelo
seu supremo seu infimo;
carnis assumens pallium
venit ad nos per se ipsum.

nobis baptisma suscipit,
nobis ieiunans esurit,
nobis et Satan hunc temptat,
nobis temptantem superat,

nobis orat et praedicat,
pro nobis cuncta factitat,
verbis, signis, et actibus
nos quaerens non se penitus.

pro nobis comprehenditur,
flagellatur, conspuitur,
crucis perfert patibulum,
pro nobis tradit spiritum.

nobis surgit a mortuis,
nobis se transfert superis,
nobis suum dat Spiritum
in robur, in solacium.

Deo Patri sit gloria
per infinita saecula,
cuius amore nimio
salvi sumus in Filio. Amen.

CXXXII (**338**)

GLORIOSI salvatoris
nominis praeconia,
quae in corde Genitoris
latent ante saecula,
mater caeli plena roris
pandit nunc ecclesia.

nomen dulce, nomen gratum,
nomen ineffabile,
dulce 'Iesus' appellatum,
nomen delectabile,
laxat poenas et reatum ;
nomen est amabile.

hoc est nomen adorandum,
nomen summae gloriae,
nomen semper meditandum
in valle miseriae,
nomen digne venerandum
supernorum curiae.

nomen istud praedicatum
melos est auditui ;
nomen istud invocatum
dulce mel est gustui :
iubilus est cogitatum
spiritali visui.

hoc est nomen exaltatum
  iure super omnia,
nomen mire formidatum,
  effugans daemonia,
ad salutem nobis datum
  divina clementia.

nomen ergo tam beatum
  veneremur cernui ;
sit in corde sic firmatum,
  quod non possit erui,
ut in caelis potestatum
  copulemur coetui. Amen.

CXXXIII (**341**)

VICTIS sibi cognomina
  sumant tyranni gentibus ;
tu, Christe, quanto dignius
ab his capis quos liberas !

non alterum mortalibus
aegris quod invocent datum,
resurgerent quo mortui,
perenne per quod viverent.

tanti quod illi constitit,
toto quod emptum sanguine,
nostrone rursum crimine
insana gens delebimus ?

sacro pati pro nomine
summi sit instar muneris :
amara non mors amplius,
fit mors per hoc amabilis.

tu, qui vocari sustines,
Iesu, salus mortalium,
audi vocantes nos, tuo
qui gloriamur nomine.

Deo Patri sit gloria
eiusque soli Filio
sancto simul cum Spiritu
nunc et per omne saeculum. Amen.

CXXXIIII (**342**)

SUMMI Parentis Filio,
patri futuri saeculi,
pacis beatae principi,
promamus ore canticum,

qui vulneratus pectore
amoris ictum pertulit,
amoris urens ignibus
ipsum qui amantem diligunt.

Iesu, doloris victima,
quis te innocentem compulit
dura ut apertum lancea
latus pateret vulneri?

o fons amoris inclyte,
o vena aquarum limpida,
o flamma adurens crimina,
o cordis ardens caritas!

in corde, Iesu, iugiter
reconde nos, ut uberi
dono fruamur gratiae
caelique tandem praemiis. Amen.

CXXXV (**356**)

O FONS amoris, Spiritus,
o sancte donorum parens,
tuas refusus intimis
accende flammas cordibus.

qui caritatis vinculo
cum Patre nectis Filium,
et nos amoris mutui
artis coapta nexibus.

Deo Patri sit gloria
eiusque soli Filio
sancto simul cum Spiritu
nunc et per omne saeculum. Amen.

CXXXVI (**376**)

HIC breve vivitur, hic breve plangitur, hic breve fletur;
non breve vivere, non breve plaudere, retribuetur.

o retributio! stat brevis actio, vita perennis;
o retributio! caelica mansio stat lue plenis.

sunt modo praelia, postmodo praemia,—qualia? plena:
plena refectio, nullaque passio, nullaque poena.

spe modo vivitur, et Sion angitur a Babylone;
nunc tribulatio, tunc recreatio, sceptra, coronae.

qui modo creditur, ipse videbitur atque scietur,
ipse videntibus atque scientibus attribuetur.

mane videbitur, umbra fugabitur, ordo patebit;
mane nitens erit, et bona qui gerit, ille nitebit.

nunc tibi tristia, tunc tibi gaudia,—gaudia, quanta
vox nequit edere, lumina cernere, tangere planta.

pars mea, rex meus, in proprio Deus ipse decore
visus amabitur, atque videbitur auctor in ore.
Amen.

CXXXVII (377)

HORA novissima, tempora pessima sunt; vigilemus.
ecce minaciter imminet arbiter ille supremus,—

imminet, imminet, ut mala terminet, aequa coronet,
recta remuneret, anxia liberet, aethera donet.

curre, vir optime; lubrica reprime, praefer honesta,
fletibus angere, flendo merebere caelica festa.

luce replebere iam sine vespere, iam sine luna;
lux nova lux ea, lux erit aurea, lux erit una.

patria splendida, terraque florida, libera spinis,
danda fidelibus est ibi civibus, hic peregrinis.

tunc erit omnibus inspicientibus ora Tonantis
summa potentia, plena scientia, pax rata sanctis.

hac homo nititur, ambulat, utitur; ergo fruetur.
pax, rata pax ea, spe modo, postea re capietur.

plaude, cinis meus, est tua pars Deus; eius es et sis;
rex tuus est tua portio, tu sua; ne sibi desis.
Amen.

CXXXVIII (378)

O BONA patria, lumina sobria te speculantur;
ad tua nomina sobria lumina collacrimantur.

est tua mentio pectoris unctio, cura doloris,
concipientibus aethera mentibus ignis amoris.

tu locus unicus illeque caelicus es paradisus.
non tibi lacrima, sed placidissima gaudia, risus.

lux tua mors crucis atque caro ducis est crucifixi ;
laus, benedictio, coniubilatio personat ipsi.

est ibi consita laurus, et insita cedrus hysopo ;
sunt radiantia iaspide moenia, clara pyropo.

hinc tibi sardius, inde topazius, hinc amethystus.
est tua fabrica contio caelica, gemmaque Christus.

tu sine litore, tu sine tempore fons, modo rivus ;
dulce bonis sapis, estque tibi lapis undique vivus.

est tibi laurea, dos datur aurea, sponsa decora,
primaque principis oscula suscipis, inspicis ora.
Amen.

CXXXVIIII (379)

URBS Sion aurea, patria lactea, cive decora,
omne cor obruis, omnibus obstruis et cor et ora.

nescio, nescio, quae iubilatio, lux tibi qualis,
quam socialia gaudia, gloria quam specialis.

sunt Sion atria coniubilantia, martyre plena,
cive micantia, principe stantia, luce serena.

sunt ibi pascua mentibus afflua praestita sanctis ;
regis ibi thronus, agminis et sonus est epulantis.

gens duce splendida, contio candida vestibus albis,
sunt sine fletibus in Sion aedibus, aedibus almis.
Amen.

CXXXX (**380**)

IERUSALEM luminosa,
  verae pacis visio,
felix nimis ac formosa,
  summi regis mansio,
de te o quam gloriosa
  dicta sunt a saeculo !

in te iugiter iucundum
  'Alleluia' canitur ;
sollemne ac laetabundum
  semper festum agitur ;
totum sanctum, totum mundum,
  in te quidquid cernitur.

in te numquam nubilata
  aëris temperies,
sole solis illustrata
  semper est meridies ;
in te non nox fessis grata,
  nec labor nec inquies.

o quam vere gloriosum
  eris, corpus fragile,
cum fueris tam formosum,
  forte, sanum, agile,
liberum, voluptuosum,
  in aevum durabile.

nunc libenter ac ferventer
  laborum fer onera,
habeas ut condecenter
  dona tam magnifica,
doterisque luculenter
  gloria perpetua.

aeterne glorificata
  sit beata Trinitas,
a qua caelestis fundata
  Ierusalem civitas,
in qua sibi frequentata
  sit laudis immensitas. Amen.

CXXXXI (381)

O QUANTA, qualia sunt illa sabbata
  quae semper celebrat superna curia!
quae fessis requies, quae merces fortibus,
cum erit omnia Deus in omnibus!

vere Ierusalem est illa civitas,
cuius pax iugis est, summa iucunditas,
ubi non praevenit rem desiderium,
nec desiderio minus est praemium.

quis rex, quae curia, quale palatium,
quae pax, quae requies, quod illud gaudium,
huius participes exponant gloriam,
si, quantum sentiunt, possint exprimere.

nostrum est interim mentem erigere
et totis patriam votis appetere,
et ad Ierusalem a Babylonia
post longa regredi tandem exilia.

illic molestiis finitis omnibus
securi cantica Sion cantabimus,
et iuges gratias de donis gratiae
beata referet plebs tibi, Domine.

illic ex sabbato succedet sabbatum,
perpes laetitia sabbatizantium,
nec ineffabiles cessabunt iubili,
quos decantabimus et nos et angeli.

perenni Domino perpes sit gloria,
ex quo sunt, per quem sunt, in quo sunt omnia ;
ex quo sunt, Pater est ; per quem sunt, Filius ;
in quo sunt, Patris et Filii Spiritus. Amen.

CXXXXII (383)

'ALLELUIA' piis edite laudibus,
cives aetherei, psallite naviter
'Alleluia' perenne.

hinc vos perpetui luminis accola
assumet resonans hymniferis choris
'Alleluia' perenne.

vos urbs eximia suscipiet Dei,
quae laetis resonans cantibus excitat
'Alleluia' perenne.

felici reditu gaudia sumite,
reddentes Domino glorificum melos
'Alleluia' perenne.

almum sidereae iam patriae decus
victores capitis, quo canor est iugis
'Alleluia' perenne.

illic regis honor vocibus inclytis
iucunda reboat carmina perpetim,
'Alleluia' perenne.

hoc fessis requies, hoc cibus et potus,
oblectans reduces haustibus affluis,
'Alleluia' perenne.

nos te suavisonis conditor affatim
rerum carminibus laudeque pangimus
'Alleluia' perenne.

te, Christe, celebrat gloria vocibus
nostris, omnipotens, ac tibi dicimus
'Alleluia' perenne. Amen.

CXXXXIII (**413**)

PUGNATE, Christi milites,
fortes fide resistite :
immensa promisit Deus
pio labori praemia.

non ille fluxas ac leves
palmas dabit vincentibus,
sed lucis aeternae decus
et pura semper gaudia.

mentes beatas excipit
formosa caelitum domus :
hic turba caelis altior
subiecta calcat sidera.

caduca vobis praemia
offert levis mundi favor :
vultus ad astra tollite ;
hic ipse fit merces Deus

qui nos coronat, laus Patri ;
laus, qui redemit, Filio ;
alma iuvans nos gratia,
sit par tibi laus, Spiritus. Amen.

CXXXXIIII (**441**)

[TUBES ; et in praeceps aquis
repente confluentibus
prodit sub auras umidis
exuta velis arida.]

hanc tu colendam qui tuis,
Pater, dedisti filiis,
quos orbis unus continet,
fac una iungat caritas.

nunc exulamus ; sed tuam
mox congregabis in domum
te patre dignos, qui pio
amore fratres vixerint.

at qui malignis artibus
linguisque laedunt proximum,
a te repelles : hoc genus
caelestis aula non capit.

en ipsa tellus improbos
dudum laborans sustinet,
ardetque non suae iugo
corruptionis eximi.

adoptionem nos quoque
efflagitamus integram,
cui nos sacrato Spiritus
praedestinavit pignore.

aeterna laus et gloria
uni sit et trino Deo,
diffusa per quem cordibus
fraterna regnat caritas. Amen.

CXXXXV (**444**)

O QUAM iuvat fratres, Deus,
unum quibus Christus caput
vitale robur sufficit,
uno moveri spiritu !

quam dulce laudes dicere
una tibi cunctos domo,
precumque ceu facta manu
inferre vim gratam tibi !

hanc quisque diligat domum,
hanc pace concors recreet ;
vae dira qui spargit malus
dissensionum semina.

praesta, beata Trinitas,
ut caritate mutua
prosimus alter alteri,
regnemus et polo simul. Amen

CXXXXVI (447)

SUPREME motor cordium,
tu sanctitatis frugibus
iustos ab orbe condito
tenore ditas perpeti.

hic spes, fides, et caritas
dulci cohaerent vinculo ;
praesentis aevi post diem
manebit una caritas.

o caritas, o veritas,
o lux perennis, en erit
post tot labores ut tuo
tandem fruamur sabbato.

hic mille per discrimina
semen gementes spargimus ,
illic ovante splendidam
gestabimus messem manu.

tu trine, tu potens Deus,
fructus adauge quos petis ;
mox dona iustus arbiter
caelo coronabis tua. Amen.

CXXXXVII (484)

DIGNARE me, o Iesu, rogo te,
in cordis vulnere abscondere;
permitte me hic vivere
in tuo latere quiescere.

si praeparet daemon insidias,
et mundus offerat divitias,
in tuo corde tutus sum,
in tuo latere securus sum.

fallacior si caro lubricis
mentem exagitet blanditiis,
nil metuo, hic tutus sum;
est meum latus hoc refugium.

si oculos claudat fatalis sors
et vitam terminet feralis mors,
o Iesu, ne dimitte me;
da tuo moriar in latere. Amen.

CXXXXVIII (492)

IESU, dulcedo cordium,
fons vitae, lumen mentium,
excedis omne gaudium
et omne desiderium.

Iesu, spes paenitentibus,
quam pius es petentibus,
quam bonus te quaerentibus!
sed quid invenientibus?

qui te gustant, esuriunt;
qui bibunt, adhuc sitiunt;
desiderare nesciunt
nisi Iesum, quem cupiunt.

quocumque loco fuero,
mecum Iesum desidero,
quam laetus cum invenero,
quam felix cum tenuero !

mane nobiscum, Domine,
nos tuo replens lumine :
pulsa noctis caligine,
mundum reple dulcedine. Amen

CXXXXVIIII (**493**)

IESU dulcis memoria,
dans vera cordis gaudia ;
sed super mel et omnia
dulcis eius praesentia.

nil canitur suävius,
auditur nil iucundius,
nil cogitatur dulcius,
quam Iesus Dei filius.

Iesu, spes paenitentibus,
quam pius es petentibus,
quam bonus te quaerentibus !
sed quid invenientibus ?

nec lingua potest dicere,
nec littera exprimere ;
experto potes credere,
quid sit Iesum diligere.

tu esto nostrum gaudium,
qui es futurus praemium ;
sit nostra in te gloria
per cuncta semper saecula.

PARS ALTERA.

Iesu, rex admirabilis
et triumphator nobilis,
dulcedo ineffabilis,
totus desiderabilis,

quando cor nostrum visitas,
tunc lucet ei veritas,
mundi vilescit vanitas,
et intus fervet caritas.

Iesu, dulcedo cordium,
fons vitae, lumen mentium,
excedis omne gaudium
et omne desiderium.

Iesum omnes agnoscite,
amorem eius poscite,
Iesum ardenter quaerite,
quaerendo inardescite.

te nostra, Iesu, vox sonet,
nostri te mores exprimant,
te corda nostra diligant
et nunc et in perpetuum.

PARS TERTIA.

Iesu, decus angelicum,
in aure dulce canticum,
in ore mel mirificum,
in corde nectar caelicum.

qui te gustant, esuriunt ;
qui bibunt, adhuc sitiunt ;
desiderare nesciunt
nisi Iesum, quem cupiunt.

o Iesu mi dulcissime,
spes suspirantis animae,
te quaerunt piae lacrimae,
te clamor mentis intimae.

mane nobiscum, Domine,
et nos illustra lumine ;
pulsa mentis caligine,
mundum reple dulcedine.

Iesu, flos matris virginis,
favus mirae dulcedinis,
laus, honor tibi numinis,
regnum beatitudinis. Amen

ELENCHUS I

ELENCHUS

ELENCHUS I

ELENCHUS I

ELENCHUS II

ELENCHUS II

ELENCHUS II

ELENCHUS II

LONDON: PRINTED BY WILLIAM CLOWES AND SONS, LIMITED,
DUKE STREET, STAMFORD STREET, S.E., AND GREAT WINDMILL STREET, W.